



CHRIST. VARSEVICII

Equitis Poloni

DE LEGATO

ET LEGATIONE.

Item Ejusdem

De CONCILIO *et* CONSILIARIIS

PRINCIPIS

LIBER.

Accessit

HIPPOL. A COLLIBUS

CONSILIARIUS.

DANTISCI,

Sumptib. Georgii Försteri. 1646.

Cum Privilegio S.R.M. Polon. et Suec.

M. Hyacinthe Dziagi
Wylezki a offert
ce livre à Mon.
Antoine [illegible]
tous deux étant
Professeurs au
College du Palati-
nat de Cracov[illegible]



CHRISTOPHORI VARSEVICII,
Equitis Poloni,

DE LEGATO ET LEGATIONE,

Item ejusdem


DE CONCILIO ET CONSILIARIIS PRINCIPIS

Liber;

Ex F. FURII CERIOLE Hispanico in Latinum versus.

Cui accessit

HIPPOLYTI A COLLIBUS
CONSILIARIUS.



DANTISCI,
Sumptibus GEORGII FÖRSTERI,
Anno M·DC XLVI.
Cum Privilegio S. R. M. Poloniæ & Sueciæ.


BIBL. Z.N. IM. OSSOLINSKICH

Illustrissimo Domino,

DOMINO

ACHATIO PRZYLECKI

DE PRZYLEK,

CASTELLANO OSWIECIMENSI,

Domino ac Patrono meo colendissimo.



LEGATVS ad Te venit ILLVSTRISSIME DOMINE, magno, hominum dicam, an Musarum? maximo virtutum comitatu. Inveniet quocirca facilem aditum, quem Tu ob eximiam humanitatem, benevolentiamque Tuam, ne quidem infimo cuiquam, clausum esse unquam voluisti. Quin & inter primæ admissionis amicos, locum, ut spero, inveniet, quia primus apud Te virtuti literisque locus semper fuit. Si fortè quæras, unde LEGATVS hic ad Te, veniat? Abs te, inquam, advenit, quemadmodum & ad Te venit. Tu enim es ILLVSTRISSIME DOMINE, qui consilio in primis mihi

præivisti, ut cum alia omnia CHRISTOPHORI VARSEVICII opera, tum hanc in primis DE LEGATO ET LEGATIONE lucubrationem iteratò producerem in lucem. Et sanè mirum est, VARSEVICIUM, nobilissimo inter Polonos genere ortum, nec minus à gestis in Republica & Dei Ecclesia honoribus, quam ab Illustri Prudentiæ civilis laude, plurimisque de ea voluminibus in lucem datis, toto orbe clarissimum, in suâ Poloniâ prope ignotum aut peregrinum hactenus fuisse. Quotus enim in amplissimo hoc Poloniarum Regno civis est, qui hunc VARSEVICII de LEGATO librum, ut de aliis ejus literarum monumentis interim sileam, videre in Polonia potuerit? Diu est quod opus illud extra Regnum impressum, toto Regno ita desideratur, ut paucula ejus supersint exempla. Quod cum Tu ILLUSTRISSIME DOMINE advertisses, mihi quemadmodum ad aliorum hujus Regni scriptorum, ita & ad VARSEVICII TUI, recudenda vel primum etiam cudenda opera, satis alioqui incitato, calcar addidisti. Secutus sum

ſum Illmæ Dnis V consilium, perinde uti nunc properantem ad TE VARSEVICII LEGATVM comitando ponè ſequor. quia & mihi apud Illmam D. V. patentem fuiſſe aditum profiteor, & deinceps fore confido. DANTISCI Kalendis Ianuarii, Anno 1646.

Illuſtriſſimæ Dnis Vræ

devotiſſimus cliens

GEORGIVS FÖRSTERVS
Bibliopola Dantiſcanus.

Illustrissimo Domino,

DOMINO

STANISLAO MINSCIO,

PALATINO LANCICIEN.

Capitaneo Liven. &c.

Domino suo observandissimo S. P.



Itto tibi librum de Legato & Legatione meum, cujus tu quidem lineamenta (quod ajunt) omnia, non verbis, sed rebus expressisti ipsis, inque ipso docuisti tè, virtutis quàm ætatis cursum esse celeriorem. Quo nomine, ut debeo, gratulor vel plurimum tibi, & hæc quantulacunque ingenii mei monimenta, dico consecroque lubens, non tam ex aliorum eruta libris, quàm ex usu prompta observationeque communi. Quò etiam magis utilitatem vel aliquam alicui, tibi certè uni, qui quæ & quomodo gesseris ipse in iis tecum recognosces, legenti voluptatem spero allatura. Cui quidem pro tam præclarè navata Reipublicæ opera, nulla fere digna à nobis gratia referri facilè potest, nec ulla non debet. Multa ego multarum video ornamenta gentium; sed illud unum vel maximum, legatorum & legationum, cum publica totius regni dignitate: alia enim aliorum in nostro corpo-

corpore membrorum; ſoli illi legati in imperio ſimilitudinem referunt oculorum. Quibus cùm non in aliquo alio theatro, ſed in oculis orbis terræ, & ſacrario religionis Romæ, in omni genere laudis, de principatu certaviſti, & illud nimirum in tot tantiſque aliis conſecutus es, ut beatus Hiacynctus, à Clemente octavo, Pont. Opt. Max. divorum in numerum referretur, ſumma cum tua Polonicique nominis laude, & Eccleſiæ Dei, religioniſque Catholicæ ſplendore & majeſtate. Etenim nihil quàm ſanctitas & Pont. Max. vera illa & legitima ab Apoſtolorum principe profecta ſucceſſio, & quæ ſemper & ubique & ab omnibus uno ore & pectore culta eſt religio, demum verò miracula in ea edita, Chriſti Opt. Max. Eccleſiam firmam & inſignem magis reddiderint. Cui rei & orthodoxæ doctrinæ notarum claritati, quoniam ex hoc noſtro Aquilone, tu quoque vel aliquid intuliſti lucis, lætatus profectò hoc nomine magnopere ſum, omniaque opum & honoris inſignia & ornamenta dignitatis deberi tibi agnoſco gratulorque ex animo, cùm dubium fuerit nemini, quantum in ſplendidis ſcienterque obitis legationibus, regnis & provinciis poſitum ſit ſemperque fuerit: & quanta non adumbrata, ſed expreſſa veſtigia Romæ reliqueris virtutis, pietatis, prudentiæ, & humanitatis tuæ ſingularis, digna tali tantoque viro mihi fuiſſe ut videatur legatio, & vir ipſe legatione memoranda. Quo ipſo ornatus reverteris ſumma ad nos gloria, & à duobus Pontificibus

Max. Innocentio & Clemente, utrisque octavi nomen sortientibus, ea refers munera, qualia majorum tuorum præstantium ossa, & inprimis matris tuæ optimæ & spectatissimæ fœminæ pietas, & reliqua ornamenta requirunt. Quibus omnibus, utinam quam diutissimè perfruare. Hanc ego quidem non solùm veram, sed unam dixero nobilitatem atque gloriam, quæ & majorum imaginibus clara, & luculentissimis hæreditatibus aucta, & obitis honorificis legationibus insignita, & omni denique ornamentorum genere est illustrata; sic ut tu tuique similes legationibus quærendi & non tam ambientibus, quàm refugientibus illæ dandæ, nec tam pompa, quàm rebus instructi legati ad exteros dimittendi potius videantur. Bene vale, decus & ornamentum patriæ. Varsaviæ Calendis Decemb. 1595.

D. Vestræ Illustriss.

Addictiss. servitor

C. VARSEVICIVS.

CHRIST.

CHRIST. VARSEVICII,

DE LEGATO ET LEGATIONE LIBER.




VLTAS ego magnasque res, sed vel has potissimùm duas, desiderari animadverto gentibus nationibusque gubernandis, unam quidem legum, maximè verò municipalium scientiam; populorum alteram, quibus aliquis præfuerit, morum & ingeniorum cognitionem exactissimam, ut demum necessaria illa tam nostris aliò dimittendis, quàm exteris ad nos Legatis admittendis perspicax sequatur prudentia, qua belli pacisque negotia tractantur & continentur. Ac legum quidem statutorumque ratio, literis & codicibus comprehensa, longè fuerit facilior, quàm ut de ea multa verba fieri debere videantur: Secus est ingeniis motibusq; hominum cognoscendis. Nihil enim natura hominis est reconditius, nec quicquam aliud abstrusos magis habet recessus. Qua tamen ipsa in re, & ceu quadam ancipiti deliberatione, fide, consilio & authoritate bonorum multum sublevantur reges, & certis quibusdam observationibus,

Duo ad gubernandum necessaria.

bus, veluti radiis illustrantur solis; ut aut rarò, aut nunquam, aut saltem modicè aberrent à scopo, si præsertim consiliarii fuerint ii, qui odii & gratiæ, metus & cupiditatis expertes sint, & aut negligentiæ habuerint nihil, aut temeritatis. Quod haud scio an rectius ulli, quàm, quos vocamus, muti videntur mihi consiliarii assecuti. Etenim perturbationibus animi cœcis, & ipse oportet rex cœcutiat, & (ut plerumque fit) in diversas partes distrahatur. Quo ipso paucorum causa, odio futurus est infinitis, & in eo qui præerit regno, veluti in corpore sano, multos morbos pariet insanabiles; qui nescio si non augebuntur quotidie, cum magna infamia & exitio Reipublicæ. *Semel enim ortæ rarò mansuescũt ægritudines, & facilius reprehenduntur quàm corriguntur errores.* Vna autem omnium Legationum & Legatorum sive admittendorum sive dimittendorum ratio, magis nodosam habet viam publicæ expediundæ dignitatis. Cùm enim Legatus dici is soleat, qui alicujus potestatis, aut personam sustinet magistratus: aut verò ille, qui ablegantis nutu mittitur, aliquid tractaturus: multum profectò in eo positum fuerit, ut ubi, quave ratione, & tempore, Legatos ad te venientes excipias, & quæ eis responsa des, non ignores: & quos rursus, ac quales, quò, & quomodo dimittas, & quando. Sunt namque & debent esse Legatorum corpora

sancta,

ſancta, & Legati, tam ejus in quo nati ſunt, populi, quam ipſiuſmet, à quo mittuntur, magiſtratus ſimulachra. Qui variis licet vocabulis, nunc Oratores, nunc Inrerpretes, nunc Nuntii appellentur, unam tamen & eandem propemodum omnes, explicandarum & denunciandarum rerum ſortiuntur facultatem; tantùm quod legandi & ablegandi verbum, hoc privata, illud negotia reſpiciat publica, principum aut magiſtratuum aliquorum. Multum proinde in humanitate regum & principum externis Legatis excipiundis ſitum eſſe ſemperque fuiſſe, nemo dubitaverit. Nec tamen continuò, aut peræquè omnia. Malè quippe ſe habet, cùm externis apud nos Legatis cuncta licuerint; noſtris vero apud eos nec adeò vel tantillum: & cùm noſtri apud aliquos aliqua de cauſa punientur, illorum verò eo nomine apud nos ne appellabuntur quidem. Quod feras & barbaras gentes aliquando feciſſe legimus, & audimus: & ſi denique aliorum Legatos non facilè admiſerimus audiendos, ancipiti contentione noſtri tenebuntur diu ſuſpenſi, & minus quàm par fuerit videbuntur honorati; ut taceam, adhibitis etiam cuſtodibus in hoſpitio tenèri Legatos alicubi; quod ſpeciem neſcio cujus præ ſe fert ſervitutis. Quod tamen minimè mirum videri debet, præſertim ſi belli; aut tumultuum acciderit tempore, aut Legati illi in aliena Re-



pub. nimium fuerint curiosi: *inertes enim domi, & curiosi foris ægrè feruntur.* Quanquam enim Christianæ Reipub. cives omnes simus, & ad salutem dignitatemque publicam nostras actiones referre debeamus; tutius tamen semper in illam peccabitur partem, ut passim & ubique, præsertim verò in alieno solo, moderatè & scienter versemur, quàm dissoluti ineptique habeamur: Alienum enim homines solum compescit & salum. Quantum verò ad principem, qui admittendarum & dimittendarum Legationum habiturus est potestatem, pertinebit, vel inprimis curet, ut eum honorem habeat externis, quem cupiet apud exteros haberi suis, citra tamen omnem vel minimam reprehensionem levitatis. Nam & in hac quidem ipsa re delectus esto atque discrimen, &, ut vitia & vitiosa imitanda non fuerint, saltem quo modo alibi tractabuntur nostri, aliorum quoque Legatos similem humanitatem, ejusque vicissitudinem par fuerit experiri: secus si fuerit factum, quidam non judicio, aut magnanimitati, sed nunc metui, nunc desperatis rebus, nunc imbecillibus viribus, nunc intellectus nostri adscribent id infirmitati. Omnia enim ferè in deteriorem, quàm in meliorem partem, vulgus hominum interpretatur: cujus, ut minoris faciendum sit judicium, approbatio non est negligenda. Ac princeps quidem dispiciat omnia per se primùm ipse necessaria,
de-

demum non nisi prudentissimorum & fidelissimorum consilio & authoritate nitatur. Nam si non suo sed alieno consilio semper utetur, hoc sicuti nihil melius, ita neque periculosius est aliquando, propterea quod multa sunt, quæ percipiendis consiliariorum sententiis nobis imponunt, summa probabilitate dicendi. *Nunquam enim aliquem reipsa sapientem ære, corrumpas verò non neminem persuasione.* Curam mittendorum & excipiendorum Legatorum senatui olim Romæ datam fuisse, gravissimus author testis est Polybius: quod & ipsius Livii tota testatur historia. Nec obstat, quod alicubi dixerit Tacitus: Magnam agitatam in senatu controversiam fuisse, si electione, aut sortitione sumi Legati debuissent. Certum enim fuerit, nec in T. Livio copiosissimo rerum Romanarum scriptore, neque adeo in ipso Tacito alio aliquo loco, & vel in aliquibus aliis id authoribus deprehendi. Ex adversus autem majores natu viros nobilissimos esse missos, decretos, lectos, aptos præ cæteris rei gerendæ, proditum est memoriæ. Quemadmodum & illud alterum satis superque ex eodem constiterit Livio, quo loco, quo tempore, quo modo excepti, aut verò dimissi fuerint Legati externi, & legationes, nempe in Comitio, & Græcostasio, ubi sedere solitos Legatos externos & Varro, & alii literis consignarunt. Excipere quidem hostium Legatos intra urbis

mœnia

mœnia non erat in more positum & consuetudine Romanorum: ac nec adeò ipsos Legatos gentium & nationum exterarum, tametsi illa de re varient Iureconsulti inter se, nec non & alii rerum vel annalium scriptores. De tempore illud liquet, quod non nisi mense Februario, modo & more penè, qui & nostris est, audiebantur legationes, initis statim magistratibus, & rebus omnibus, pro usu communi, dignitateque constitutis. In quibus quidem aliis, quoniam non peræquè tantum, quantum in electione ipsorum Legatorum est situm, accedemus vel ad illam alteram paulatim partem, & pro nostra tenuitate opportuna his rebus, & obeundis legationibus adjumenta disquiremus. Factu est incredibile, nisi prius multa sciantur, legantur, & videantur, omnes omnium rerum, cùm dimittuntur, posse Legatos admoneri. Quorum quàm rarum & difficile sit munus, vel inde est cognoscere, quòd Cyrus inter primos Legatum sibi educandum, instruendumque proposuerit. Magna namque & magnifica aggressurum, inde à teneris (quod ajunt) unguiculis diligentissimè expedit erudiri; neque tamen & immensa illa fuerint, aut prorsus factu incredibilia, quæ in Legato requiruntur. Etenim, quòd quidam omnium linguarum, nec scio, si non & scientiarum peritum esse Legatum existimant oportere, næ haud intelligunt, quid hac in parte sibi velle videantur: immensæ enim cupidi-

cupiditates ſunt noſtræ, ætates vero anguſtiſſimis terminis circumſcriptæ. Illius quidem gentis, aut etiam principis linguam Legato eſſe ſciendam, non dubitanter dixerim, apud quem Legatione defungetur. Hoc amovet incommoda Legato gravia & magna, affert verò ſumma & plurima contraria: nemo enim communicandis alicui ſecretis adhibet plures, cum præſtare id poſſit ipſe, aut per pauciores. Barbarus denique videtur ſemper is, qui eum, apud quem verba facit, ſermonis ſui non habuerit intelligentem, & omnes ſurdi, M. Tullio teſte, ſumus, cùm eas linguas, quas non intelligimus, quaſi occultum aliquid, arrigendo aures, taciti veſtigamus. Hiſtoriarum certè, quàm linguarum plurium cognitionem, multò magis dixerim Legato neceſſariam, quanquam & illarum non omnino poſthabendam. Eſt enim hiſtoria dux actionum, conſiliorum inventrix, comes itineris, pronuba inſtituti ſalutaris; quam quò magis variam, & exactius aliquis legerit, & legendo rebus & temporibus præſentibus adaptaverit, eò & plures legationes obiiſſe, & in portum, quem quærit, facilius invehere videbitur didiciſſe. Sed ad ejus hiſtoriæ cognitionem divinarum humanarumque rerum accedat oportet ſcientia. Parum namque utilis librorum eſt lectio, niſi humano ingenio vires aut cælitus infundantur, aut longo uſu acuantur. Quam ad rem Deo Opt. Max.

inpri-

inprimis duce & authore, & perillustri natura Legatus opus habet, ac demum studio & exercitatione assidua & peculiari. Est enim per se quisque nedum videtur tardior, celeri illo animi motu & sagacitate destitutus. Sed idem ille se cognoverit, frenaveritque semper, non minus alacri animo, quàm etiam studioso. Sicut enim cultri, ita & acuta ingenia ut facilè findunt, sic & hebescunt. Iam & naturæ ornamenta idem Legatus habeat, & aliquando fortunarum: festivum enim est, quod de secretario naturæ & ingenii magistro fertur Aristotele, quòd cùm aliquando, quamobrem illa, quæ pulchra sunt, in amorem sui homines raperent, interrogaretur, cœci esse hanc interrogationem responderit: *Pulchra enim omnia suapte ad se nos alliciunt*, & magna per se, tacita licèt, commendatio pulchræ est faciei. Duplex tamen vulgò, virilis & muliebris, habetur pulchritudo: quarum altera in venustate; altera, quæ Legatorum est propria, in oris & totius corporis ponitur dignitate: gibbosi, (ut mox plura iis de rebus infrà dicemus,) claudi item, & vel aliquibus membris distorti, aut mutilati Legati magis commovent risum, quàm aliquam tam sibi, quàm principi suo vel minimam conciliaverint authoritatem; nisi fortè aliqua re aut arte sint excellentissimi. Quod etiam ipsum apud incultas & barbaras gentes parum valuerit vel nonnunquam: barbari enim ad irriden-

Pulchritudo duplex.

irridendos, morati verò homines ad honorificè tractandos exteros ſunt promptiores. Sic olim à regina Amazonum Macedo contemptui eſt habitus Alexander, quòd non perinde pulcher, quàm rerum geſtarum fama celeber ei videbatur. Sic Ageſilaus Magnus ab Ægyptiis, minori fuit in veneratione, quod ſtaturæ eſſet brevioris: ſic alii aliis quidem minus; ſed fuerunt tamen omnes deſpicatui ſemper, qui aut naturæ, aut fortunarum adjumenta non habuiſſent. Quot enim & quanti Legati, in medio ceu quodam curſu ſæpe ſubſiſtunt, nec aliorum erga ſe humanitati & officiis reſpondent, nec niſi ære alieno obruti, ab aula proficiſcuntur, partim ob profuſionem aliquando nimiam, partim ob æris & facultatum inopiam. Quid? quàm multi, petenda identidem pecunia, principibus ſuis moleſti ſunt, & tandem juvandi neceſſariò veniunt; quod non fieret, ſi aut opibus per ſe ſemel inſtructi prius eſſent, aut obeundis legationibus, idoneos judicatos, quàm ineptos alios, rerum gerendarum inſtrumentis, principes ipſi potius augerent. Melius enim ad negotia apti, pauperes licèt, ſublevantur ære, quam ceu quædam mutæ perſonæ opulenti, ſed inertes in rerum verſantur tractatione. Quo magis viderint reges, quibus faciem ſuam dandam potiſſimum arbitrentur: ſi enim muſico inepto, quantò minus Legato utendum eſt inconſiderato. Virum certè ignobilem,
rudem

rudem & egentem, principis personam decorè præstare minus posse, nemo dubitaverit. Verùm nec in divitiis adeò etiam posita sunt, aut erunt omnia. Ac multò minus in pompa & ostentatione divitiarum: sapienter namque sensisse, & pulchrè mihi videtur dixisse, qui non tam pompa, quam rebus instructum Legatum ajebat dimitti oportere: neque tam eum, qui ipsum se ultro & curiosè ingereret, quam qui refugeret quodammodo legationem obeundam. Etenim turpius nihil ambitur, nihil invidiosius suscipitur, nihil difficilius peragitur, nihil variè & multipliciter magis interpretatur, quàm legatio. Vnus vel minimus commissus aliquando error turpat legationis omnia: & propter pauca Legati vitia, sæpe evanuerunt plurima & maxima, quæ erant vel imprimis dilaudanda. Est enim Legatus persona publica, & vel nonnunquam nova, proposita omnibus ad spectandum, paucissimis peculiariter commendata ad prædicandum. Qui tantò quidem majorem etiam sæpius sortitur invidiam, quantò quod sibi visum fuerit agere, datur tandem sibi à principe plus potestatis. Nam non usque eò raro, res temporaque, ne quid certi legato præscribatur, requirunt; sed facultas conceditur, quod è re, & dignitate principis magis fuerit, liberè quandoque de omnibus legato statuendi. Sæpe enim occurrunt, de quibus nihil in mandato præstitui potest, & rur-

& rurſus multa præcisè, & diligenter legatis committantur neceſſe eſt, in quibus præſens rerum tractatio ſubjicit conſilia certiora. In his autem omnibus perſpicaci maximè opus eſt prudentia, longo rerum uſu & tractatione comparata: non enim ſemel & iterum, ſed vix etiam infinitis modis & vicibus ſuffecerit aliquid tractaviſſe: nec tam proſperis ſucceſſibus partis, quàm naufragiis factis, res rerumque eventus meminiſſe: *premunt enim gravia, læta vero & levia exoleſcunt.* Quò etiam pauciores idoneos his & tantis legationibus reperias: nihil enim facilius fungi volenti, & nihil difficilius videtur experienti legationem; niſi, quod continuò imploraveris, numen affulgeat divinitatis. Itaque eos potiſſimum ad hæc ſimiliaque munera obeunda deligant ſibi principes, in quibus catholicæ religionis & boni publici maximè ſpectetur ſtudium: cùm pietatis concepta de aliquibus opinio venerabiles faciat etiam expertes aliquando pietatis. Quanquam ego *non modò cum Deo, ſed nec cum hominibus quidem, fallaciter aliquid agere author alicui fuero:* multi enim ſimulantes pietatem, vel ipſam reddiderunt ſuſpectam in aliis probitatem; & Deus ipſe Opt. Max. cùm diu multumque tulerit, eò tandem ſeverius caſtigat falſitatem. Religionis porrò Catholicæ ſincerum ubicunque ſtudium, ſequatur neceſſariò in Legato fides, ſequatur prudentia, ſequatur

tem-

temperantia, & ipsa denique, quæ muri adamantini est instar, nunquam satis laudata sequatur fortitudo: reliqua enim in Legato omnia videntur esse ceu cujusdam urbanitatis, hæ certè, quas enumeravi virtutes, soliditatis sunt singularis: nam sicuti ad pulchritudinem corpus, ad fortitudinem veluti ad robur, ad temperantiam perinde ac ad sanitatem, ad prudentiam quasi ad subtilitatem sensuum, legatus est conformandus; fide in eo nihil est præclarius & commendatius memoriæ hominum sempiternæ. Etenim ut illud taceam, quod habita, veteri proverbio, fides obligat ipsam fidem, & erit, qui proditionis crimine fœdius aliquid dicat vel sentiat, & cujus vitium virtuti oppositum à virtute magis declinaverit? Ferunt Borbonium illum, qui ad Romam occubuit, vel tam præclarè de Hispanis meritum, cùm in Hispaniam appulisset, ne hospitio quidem exceptum à quodam fuisse, quod domo sua indignus diceretur, nescio ob quam suspicionem perversæ in principem suum fidei, aut commutationem voluntatis. Quo tamen loco nunquam ego proditorem appellavero eum, qui, quòd à virtute discedere noluisset, proditionis insimulatur alicujus. Est enim constãs & perpetuum quid, quod justitia appellatur, & quod perversis & depravatis hominum moribus & consuetudinibus, nec potest nec debet unquam mutari. Ac ut plurimum iis, quorum benefi-

ciis affecti sumus debeamus; multò tamen plus nobis ipsis, & honestati debemus, quæ moribus licet temporibusque præsentibus non quadraverit ratio aut oratio, nec & ego eum legatum oratione finxero, qui certo aliquo loco & tempore seu persona definitur; sed qui rectæ rationis normæ justitiæque quàm maximè fuerit proximus & accommodatus. Quare, quid præter fidem in legato præterea requiratur, & quàm necessaria ipsi fortitudo prudentiaque fuerit, videamus. Summa quidem certè habeat oportet omnia. Etenim, ut à fortitudine ordiar, cùm timidus aliquando habitus sit Cicero, & Pompejus ei dixerit: Transi, inquit, M. Tulli in castra Cæsaris, & me timebis: prudenter videtur fecisse, cùm seipsum nosset, quòd ad Antonium legationem fuerit deprecatus. Vt ex adversus malè audivit Demosthenes, quòd in legatione, nescio ad quem, publico nomine destinatus, & usque in aliquam viæ partem progressus, dum subinde impotentiam animi, & iracundiam illius, ad quem mittebatur, secum ipse cogitasset, missam fecit legationem; quo nomine non apud suos peræquè omnes, ut dixi, fuit laudatus: *declinanda enim sunt maturè, quorum nos aliquando deberet pœnitere.* Quo loco recentius adhuc & facetum proferam exemplum cujusdam principis Italici legati, qui ad Sigismundum Augustum Poloniæ regem, pro nuptiis eum invitaturus, Grodnam

Legatus ridiculus.

nam profectus, cùm in quandam paulò longiorem sylvam apud Knischinum incidisset, & num multum ejus superesset fortè quæsivisset, responso, quod dimidio adhuc major pars ejus restabat, accepto, per familiarem suum ad regem principis literis missis, nescio quid causatus, & ipse quidem mox revertit. Itaque prudentia, fortitudoque pariter legato est necessaria; ut suscepta demum legatione dispiciat, quatenus progredi possit & debeat, & quibus in rebus, ac quomodo fortitudine uti, & quando. Nonnunquam enim cauta consilia, quàm elata sequi præstiterit: & parere potiùs necessitati, quàm indulgere appetitui, aut perversæ voluntati. Ac breviter, multa ac penè infinita sunt, quæ præceptionibus circumscribi non possunt, & in quibus ad novas res nova consilia adaptantur. Pulchrè ergo quidam, non tantùm, inquit, verborum nuncii crediti sunt legati, sed judices rerum adeò etiam appellati, & oculi ac aures imperiorum; quos ego non tantum in magnis magnum, sed in omni denique re volo gerere animum, nec de sua concedere dignitate vel tantillum. Nam memorabile semper fuerit, quod alicubi refert Tacitus, quòd cùm quidam Germanorum legati, Romam venientes, in sedibus senatorum sedere externos legatos animadvertissent, & quibus id honoris datum, percontati fuissent, &, fide in populum Romanum magnis, responsum acceplssent;

cepissent; deos hominesque testari, nullos hac in parte Germanis præferendos; inter patres consederunt. Est enim dignum, digniorem locum se concedere legatorum nemini; sed & in ea ipsa re, ut infrà dicemus, eatenus progrediendum, quatenus suaserit ratio, aut summi alicujus principis interposita autoritas & persuasio. Nam superbum agere legatum, Deo hominibusque est odiosum, cum quodam non obscuro contemptu, & irrisione totius gentis atque nationis. Hinc illis Lusitanorum legatis, in Hispaniensem aulam venientibus, & hospitiorum causâ nescio quem præmittentibus, palatii præfectus ridiculum dederat responsum, cùm, quot essent, interrogasset, & ille, mille quidem omnes, sed quingentos prorsus Deo, alios aliis hominibus similes, respondisset: Bene habet, inquit; isti, quos tu Deo dicis esse similes, in templa; reliqui eant in hospitia. Quo non obscurè animi perstrinxit eorum levitatem: *omnis enim jactatio & verborum vanitas est molesta*; sed illa vestium, supellectilis, aut equorum, aut his similium rerum molestissima. Fugiendis tamen his in sermone & collocutione ineptiis, suæ nunquam obliviscatur legatus gravitatis, amicum omnibus, familiarem præstet se nemini: licèt nec multos, neque nullos amandos esse censeant alii: in privatis rebus humanitatem, in publicis retineat dignitatem. Frequens commessatio parit nobis

B non



non rarò despicatum: & indignum est, cùm sobrius non audeas loqui, inter pocula velle garrire : *juvenes denique plura , senes verba facere consuescunt meliora.* Proinde vel hac in parte debet esse legatus cautus, & in publicis conviviis, in sermone parcus , & quodammodo etiam taciturnus. Sicuti enim occultata virtus parum à stultitia differt ; sic *ad opinionem sapientiæ silentium loco servatum stultis suffragatur* : vascula inania maximè tinniunt, & quò minus mentis, eò aliquibus plus est loquacitatis: denique quò citro ultroque , serendis temerè sermonibus, *lingua nihil est nocentius* , eò is, qui illam arte frenaverit , magis in sapientibus numeratur. Sæpe vel amplissimus campus restat iteratò cuivis dicendi ; non peræquè autem semper ea, quæ protuleris , reticendi : *nam verba & aves semel emissæ, postliminio non revertuntur* : & suspicandum est semper, ea , quæ uni vel alteri dixerimus, brevi conscios fore etiam quàmplurimos. Mors ergo & vita in manibus linguæ est, dixit ille non insipiens. Multi postremò multa dicunt , ut plura eliciant ipsi non à nemine , & aut in publico liberiùs loquentes, quò plures sermonis habeant testes , acutè alios observant; aut quem aliquis verbis ulcisci vellet occultato, altero verò paulatim ad libertatem obloquendi, ceu in arenam educto , incautum circumscribunt. Non sint tamen talibus aut faciles ad credendum Reges , aut ad castigandos proni

sermones ;

ſermones ; levitatem enim loquendi irridendam, inſaniæ commiſerendum, dolori ex injuria accepto indulgendum aliquid, ſemper eſt judicatum: & Imperatorum extat ſanctio in hæc verba trium: Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, neque durum aliquid, neque aſperum volumus ſuſtinere; quoniam ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione dignum; ſi ab injuria, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrum prætermitti an exequi debeant, cenſeamus. Atque hæc quidem verba ſunt ſanctionis. De convitiis autem in abſentem principem jactatis, vel contumeliis abſenti dictis, tantum ſtatuendum eſt, quantum ſtatui volebat in eum Ariſtoteles, qui abſentem pulſaviſſet: etenim verborum ſuperbiam, qui facilè excandeſcunt, plerumque ulciſcuntur, prudentes irrident, leves ſequuntur. Vnde & Veneti regis Galliarum Fœcialem bellum Reipub. denunciantem, injuſtitiamque & alia iis exprobrantem, religioſè dimiſerunt. Et Parthorum olim legatos Romæ, quòd Armeniam peterent, quam ereptam tenebant, irritos quidem dimiſſos, ſed legimus tamen muneratos: non enim is,

Lex Impp.

qui mandata tulerit, incusandus; sed qui dederit, magis est redarguendus; uterque tamen hanc mandatorum libertatem non usque eò amplectatur, ut vel aliis sit ea molestus. Etenim etiam illam animi sensuum proferendi prudentiam habere legatus debet commendatissimam, nec à considerata ratione differendi, vel in privata collocutione avelli cum principe se, & in altum disputationum trahi, temerè patiatur: & postquam ad exteros venerit, potiùs laudatorem se eorum præstet, quam temerarium censorem vel æstimatorem: *omnes enim nobis ipsis plus quam par est placemus & alios irridemus*, ut vel maximè nobis præstantiores esse, tacitè agnoscamus, & quod plerumque fit, verbis præ nobis extenuemus. Iam & ipsum, quem semel adierit, principem observet & revereatur legatus perpetuò: nec illius titulis aut juribus tam dicto quam facto detrahat vel tantillum: quòd si vel aliquid sibi ab eo displicuerit, non queratur vel evulget è vestigio, memor dicti illius Romani sapientis: *Potentiorum injurias non solùm patienter, sed hilari etiam fronte semper esse perferendas.* Sæpe accidit, ut potens injuriam injuriâ cumulet: & si patienter feratur, non omnium optimè facti compunctus conscientiâ, eam beneficio obliterandam potiùs arbitretur, & unum aliud beneficium tandem sequatur: *raro enim gratis datur aliquid*, quominus is, qui semel gratis dederit, ad dandum
non

non denuo invitetur. Quanquam nullius rei minus quam beneficiorum, ab externo principe venandorum, insit legato cupiditas, imò evitari omnis debet suspicio cupiditatis; ut nimirum principis, à quo missus est, sarta tectaque conservetur dignitas; quæ ut medico salus, imperatori victoria, legato sit proposita: merces enim ratione mercatorum, & principes domesticorum nonnunquam æstimantur. Quæ quoniam magna & principum, & legatorum pars non intelligit, aut saltem intelligere non cupit, propterea principes, huc & illuc illis mittendis, sibi non peræquè semper satisfaciunt, & eorum culpâ aut in odium aliorum contemptumve incurrunt, aut ad aperta bella, bellorumque incendia cum vicinis veniunt, aut aliquid ejusmodi committunt, quod ex ipsorum non est re, neque dignitate. Cordati enim & prudentes legati, omnis honestatis & pacis, publicæque tranquillitatis, non dissidiorum vel bellorum præstare se debent authores. Sed nec interim etiam, vel maxima proposita commodi, aut quietis spe, indignum se suoque domino committant aliquid, neque in principem comitatumque suum impune perbacchari alios patiantur. Major namque, quam vel vitæ ipsius ratio, habenda est dignitatis: & *qui fert temerè unam, facile alteram invitat in se contumeliam*; unde postea exoritur despicatus: quò etiam solers & providus magis, sui suorumque le-

gatus sit indagator, non eos, quæ in buccam veniunt, garrire, non dissolutè vivere, non assuefaciat huc & illuc discurrere, non subitò nova sibi latibula quærere extra domum ludendi, bibendi aut dormiendi, non denique temere evagari per urbem & compita semper, non suspecta infamiaque invisere loca, ut rixarum & cædium occasiones suis perimant, facilè patiatur; nam ut nescio cui servituti id simile fuerit, præstat quidem certè comitatui suo, ad bene beatéque vivendum exemplo & authoritate præire, & demere semper aliquid, quàm adjungere potiùs libertatis. Id autem potissimùm fiat in principio, ac ceu quodam vestibulo & ingressu rerum & legationum: prima namque in oculos incurrunt maximè, & ab exordio de progressu rerum, ut plerumque fit, judicatur, nec ea, quæ de nobis in animis hominum semel inhæserit opinio, facilè eradicatur. Meminerimus, quàm & nos etiam curiosi domi nostræ sumus, cùm legatum & externum aliquem dominum ad nos contigerit advenisse, die noctuque, ut ita dicam, res ipsius rimamur, statum & conditiones omnes scrutamur, familiares intuemur; hoc idem, ne apud alios nobis quoque eveniat, videamus, demusque sedulò operam, ne fortè aliquis, tam à nobis ipsis, quàm à domesticis nostris, priusquam necesse sit, res & mandata nobis data expiscetur: nihil enim est turpius, quam fumum priusquam flammam

(dixit ille,) in legatione alicuius apparere, quod non aliunde quàm à legati, aut ejus familiarium proficiſcitur vanitate; cùm aut ſuos ſuorumque res immoderatis plerumque efferunt laudibus, aut minas miſcent precibus, aut aliorum vires & reliqua verbis, ut fit, extenuant, non ſine ſtomacho & indignatione tam ipſorum principum, quam ejus etiam ſenatorum. Omnes enim ubique contemni nos non libenter patimur; ſed hanc impotentiam externorum in loquendo animi, domi noſtræ potiſſimùm averſamur. Quanquam nec illud quidem expedierit, fictis aut etiam nimiis laudationibus principum venari gratiam; & aliud (quod ajunt,) ſtantem, aliud ſedentem loqui, & nunc hoc hodie, nunc illud poſtridie, cum non obſcura quadam ſuſpicione vanitatis. Quod (ut plerumque fit) accidit, cùm aut lippis tonſoribuſque nota longâ oratione tractamus, aut quod antea extenuavimus, ornamus & amplificamus dicendo: nihil enim magis virum decuerit, quàm nunquam ſui, ſuæque obliviſci firmitatis. Memorant Carolum Quintum, at qualem & quantum cæſarem? poſt initam cum Franciſco Galliarum rege ad Cameracum pacificationem, cuidam legato ſummis encomiis in os eum laudanti, in orationis fine dixiſſe: Vtinam, inquit, & nunc laudaſſes, & biennio antè in Anglia vituperaſſes me parciùs, æquè utroque nunc caruiſſem. Modus in laudando juxtà

ac vituperando fuerit optimus; & cum vivis, tum verò præsentibus efferendis, convenit esse moderatum: *dies enim ante occasum, & homo ante diem mutatur supremum.* Dare præterea alicui nimium in os laudis, habet speciem nescio quam assentationis; neque tam virtuti tribuere, quàm in aures principum influere velle judicamur. Vnde ille Carolus Burgundiæ Dux crebris usurpabat sermonibus, neque laudari acriter, neque vituperari vivos principes oportere, quod unum periculo, alterum suspicione non careret adulatoriæ artis valde inertis. Iam & illud legatus meminisse debet, si vel illo statim momento, rebus sui principis nomine postulandis, minimè potiatur, non despondendum esse animum, & si vel repulsam ferat, ad minas & expostulationes non veniendum; non semper sunt bonæ, quæ citò dantur responsiones, nec multùm à repulsa proficiunt contentiones. Quare, si vel meliorem causam habuerimus, declinanda semper est invidia; impotenter causa tuenda; cùm non rarò accidat, ut contrariæ parti vel aliquid de nostro jure concedendo, rursus in nostram pertrahamus eam sententiam, quod nimirum opinionem prudentiæ attulerit nobis singularem. Vt enim equi sessoribus, sic principum plurimi durioribus resistunt oratoribus, moratis & moderatis multa concedunt. Quod cùm semper & ubique valuerit, tum potissimum tractandis rebus cum iisdem regibus,

regibus, quos, non secus quàm Cetos marinos, in littus deducas paulatim, repellas vehementiùs impellendo: volunt enim, quod dixit ille, hæc idola coli, & vix faciunt aliquid moniti, tantum abest ut coacti. Quare si impugnanda regis aut alicujus magistratus fuerit sententia, excusabit se legatus primùm, deinum verò in verbis, gestu & oratione, omnem necessariam adhibebit modestiam, & suam propensissimam erga principem testabitur voluntatem: & denique, si duriora fuerint postulata, non à se sed principe à suo id ostendet proficisci: ut enim sol, si hominis vertici immineat, aut prorsus tollit umbram, aut reddit quàm minimam; sic maximi alicujus principis conditio aut gloria minuit invidiam. Minor denique supremi, quam minoris livor est magistratus, nec tantus absentis regis, quàm præsentis ipsius oratoris: qui quò etiam sibi aliquando negata dolenter tulerit minùs, eò illius, qui negaverat, experietur vicissim erga se commutationem celeriùs voluntatis: ægrè enim omnes injustitiam nobis objici ab aliquo patimur; alius vero alio faciliùs amplectitur æquitatem. Ferunt eundem illum Carolum Quintum, Romanorum Imperatorem, (libenter enim in magnis, magnorum principum perstamus exemplis,) Ioanni Dantisco, Episcopo Varmiensi, Sigismundi Primi Regis Poloniæ legato, in petenda pro Regina Bona ejus conjuge, ab *Ioann. Dantiscus.*

Isabellæ Arragoniæ ipsius matris morte, Barensi hæreditate, duriorem se initiò præstitisse: Quod cùm Dantiscus paulò tulisset immoderatiùs, & vim suum principem pati, cœnatus alicubi, exclamasset, hæsit in illa aula opinione sua diutiùs, nec vel aliquid aliquamdiu visus est impetrasse: demum verò modestior in sermone factus, vel è medio, quod apparaverat, convivio ad Cæsarem venire repentè est jussus; qui in venationes iturus, & per multos dies ab aula dicebatur absuturus; sed tum nimirum vel maximè Dantiscus, licèt vino incaluerat, moderationis & eloquentiæ laudem apud Cæsarem promeruit singularem, & quod diu non poterat, illa die impetravit; neque enim peræquè urgendis principibus, quàm eorum observandis nutubus compotes reddimur nostræ voluntatis. Quo faciliùs intelligas, quanti momenti in prudentia legati sit positum, & quàm verè ille quondam rerum dominam sapientiam appellârit. Etenim sapiens legatus, quæ impetrari vel secus possunt, animo cernit, & in posterum rei quoque tentandæ vires non incidit, nec spe concordiæ alios excludit. Multa enim & gravia feruntur, quæ omni prorsus adempta spe, ægrè possent tolerari. Quò etiam magis, cum obtentu aliqua res videbitur difficilis, imperfecta potiùs relinquatur, quàm ut prorsus abjiciatur. *Dies posterior magistra est prioris*, & semel amissa de negotiis publi-

cis

cis conferendi fide, aut etiam potestate, non tam aliquis efficitur citò ejusdem compos facultatis. At verò, cujus rei gratia legatus petitum est missus, si fortè obtinuerit, ad imponendum universæ rei & tractationi finem, nihil moræ interponat; sed quæ promissa ei fuerint, consignet literis, & quoad ejus melius fieri poterit, acta conventa efficiat firmiora: neque iis rebus ullo pacto indormiat, cùm nox interposita, sive auditio una, & vel nonnumquam falsa, perrumpat omnia, & desideriorum viri, ut regalis ille Propheta alicubi eos appellavit, hac tempestate reperiantur quamplurimi, apud quos opinionum & variarum cogitationum perpetua quædam regnat vicissitudo. Semel autem de controversa & decisa re, rursus controversia orta, non secus se habet, ac corporis aliqua ægritudo, quæ si semel curata recrudescit, plus in curatione habet difficultatis. Nocuit ergo, quod dicitur, differre paratis, & manus afferre immaturis. Atque hæc quidem omnia usu & tractatione constant rerum, & quadam veluti mensura, quæ non magis medico, quàm Politico observatu est necessaria: illi, ne ægrotantem perimat, huic, ne, quæ immortalis esse debet, evertat Rempubl. Præstat tamen conficiendis negotiis, matura quadam celeritate, quàm supina uti tarditate: *præpropera enim celeritas inimica est consilio; sed procrastinatio omnium & con-*

 siliorum

filiorum & actionum est perturbatrix. Sed age progrediamur: nam eidem illi legato curæ sit, ut scribendis tam ad populares, quàm ad externos literis, ab iis vel diversorum argumentorum epistolas sæpius vicissim sortiatur: quas cum amicis quidem communicabit liberiùs; sed neque suspectos in amicitia expertes earum faciet, demptis præsertim iis, quæ minùs communicanda videbuntur. Qua de re eos ad quos scribit, & à quibus sibi scribi volet, tempestive admonebit, & id vel maximè propterea, quòd nulla res prudentiæ opinionem magis nobis conciliaverit, quàm rerum vel exactissima cognitio, tam quę antè fuerant, quàm quæ & nunc passim geruntur. Vnde etiam quidam solos reges, eorumque consiliarios atque legatos, curiosos esse ex instituto debere testabatur, cæteros non item, quibus non peræquè incumberet cura publicorum commodorum, sive dignitatis: suo enim quisque debet se metiri pede, & contentus esse sua tantummodo functione. Iam verò non solùm ostendendis literis, sed crebris etiam & officiosis visitationibus, tempestivisque conviviis tam aliorum legatorum quàm quorumcunque aulæ procerum conciliatur legato benevolentia, & quasi imponitur necessitas quædam, aliis quoque, quod tamen ille minimè spectare debet, ejusdem voluntatis & humanitatis erga legatũ declarandę. Pulchrè enim Romanus ille nescio quis:
Alie-

Aliena, inquit, pocula ſiccas, nemo tua; aut redde vices, aut deſine velle vocari. Et ſit profectò magna magnis inter ſe viris diſſerendi ſive facultas ſive cupiditas ubicunque, ſed ubi incaluerint ad menſam, maxima. Etenim multa multi vel ultro ipſi confitentur in menſa, quæ vix aliquando confiterentur in tortura. Quid, quod non ad noſtrorum tantùm principum, ad quorum redundaverit id gloriam, ſed ad aliorum proculdubio gratiam hac ratione ſtruitur nobis via maximè compendiaria; adeò ut quorundam principum legatos, tractandis hoc modo eorum conſiliariis & aulæ familiaribus, primum gratiæ locum apud exteros reges & principes tenuiſſe audiamus & legamus: non enim homines tantùm, ſed & ſimiam aliquando ſuam in honore haberi non illibenter videre ſe, neſcio quis ille dixerat Imperator. Qua ipſa de cauſa principum in gratiam ſe ut legati magis inſinuent, non tantùm aulæ proceres, ſed adeò etiam regios domeſticos quoſque menſæ ſuæ adhibebunt: cum illis familiariter, ut fit, confabulabuntur: cum illis nunc hos, nunc illos miſcebunt ſermones: illis hinc & inde ſibi allatas oſtendent literas: cum his principis tam ſui, quàm ipſorum perhonorificam facient mentionem: cum his ſtatis temporibus, cùm aut ſtrenæ, aut ſimilia dantur munuſcula, hilarè verſabuntur, & dona dilargientur. *Omnia enim ferè quæ aut fiunt, aut dicuntur*

in aula, principem non effugiunt, & pari rursus modo rationeque pensantur: nam *fama est malum, quo non aliud velocius ullum*, dixit verè Poëta; & qua principum nostrorum ad aures, sive bona, sive mala illa fuerint, quæ de nobis circumferuntur, pervolant derepente, unde aut dolent, aut lætantur. Itaque & habitare commodè, & multò, quàm si privatus esset, se gerere splendidiùs, legati expedierit dignitati, & hac in parte nullis parcere sumptibus; si fortè odio, aut incuria eorum, quibus hospitiorum distribuendorum munus incumbit, id non assequatur: splendore enim & magnificentia capitur multitudo; & sive ut nos contemnat, sive suspiciat, facillimè incitatur. Denique qui commodè habitando & alios ad se invitando, munerandoque gratificatur pluribus, vix est credibile, ut ei vel ab uno non referatur gratia, & principes ad ornandum & remunerandum non commoveantur: fidelis enim servus fit benigno domino, & hic beatus fido & taciturno. Absit tamen semper inanis profusio à legato & legati domo: & quæ debet esse officina pudoris & continentiæ, non sit libidinis & diurnæ nocturnæque comessationis: debemus enim uti, & non abuti nostris regiisque opibus & muneribus, cumque domi, tum foris esse continentes, & cum id probare cunctis, tum nostris vel inprimis regibus, qui dissolutis & profusis haud ita libenter

beneficia

beneficia largiuntur : *dolium enim perforatum, & hominem sui oblitum vix impleveris.* Quanquam hac in parte semper animi prævaluerit magnitudo, pudetque iis nostra denegare bona, qui pro nobis præstiterint vel pertulerint graviora : *refugiunt enim omnes, quem nulla remuneratio sequitur, famulatum.* Ac memorabile inprimis fuerit, quod de Ferdinando Consalvo proditum est memoriæ, qui cùm Ferdinando Hispaniarum Regi Catholico, regno Neapolitano sub Gallis recuperando per multos annos egregiam navasset operam, tandem quarundam rerum insimulatus, coëgit ipsum regem, ex Hispaniis Neapolim navigare, & administrati illius regni, ac tam perceptorum, quàm expensorum rationem ab eo postulare : tum ille, modico sibi eam ad rem sumpto tempore, parva quadam scheda postridie ostensa, omnia expensa ea contineri fidenter confirmavit, facilèque obtinuit, ut & rei bene gestæ, & pecuniæ non malè locatæ memoria nihil ab eo magis exigeretur : ut enim magno constet, videtur constare modico publica quies, & regni possessio restituta : hoc eodem modo & summi alicujus legati excusabitur interdum profusio, si constiterit omnibus ejus profusionis ratio, utpote ad scienda quæque regum regnorumque secretiora, ad indaganda, & aliquando corrumpendos eorum consiliarios & consilia, ad fomites bellorum impediendos, ad oppres-

oppressos sublevandos, ad rebelles propter exemplum pecunia emptos,& ad supplicium rapiendos, & id genus alia. Et si denique à legato & ejus principe ad unam illam Christi Opt. Max. gloriam, & publicam pacem & tranquillitatem, tanquam ad certum scopum fuerit perpetuò collineatum; multa quippe etiam suspecta & odiosa, plana feceris atque grata, uno illo prætenso & præ oculis semper habito fine & studio, divinæ gloriæ & Reipub. utilitatis. Neque tamen vel his etiam rebus & actionibus omnibus lubricæ & præcipitis cujusdam ambitionis & curiositatis legatus notari se temerè patiatur. Relinquenda Deo Opt. Max. sunt quam plurima, & tempori ipsi, quod ratio sanare non potest, aliquando committendum. Et denique nec iis, qui nunc huic, nunc alteri parti operam venditant suam, multum adhibendum fidei, & concedendum authoritati, qui una manu porrigunt panem, & altera ingerunt scorpionem: cùm *qui non fuerit fidus suis, quî fiat longinquis & alienigenis?* Postremò usu etiam venit, ut sciscitandis veris, infinita mendacia domum referamus nostris, & pudeat pœniteatque nos sumptuum factorum, laborumque obitorum, ut interim livorem invidiamque taceam,qua curiosi isti flagrant, & periculum, quod ardeliones, qui uno ore flant & sorbent, manet: & præterea quod denique semel amissa fides talibus nulla

constiterit

conſtiterit ad omnem perpetuitatem: certiſſimum enim eſt, paſſim & ubique leves haberi malignos, percunctatores garrulos, curioſos mendaces, & omnes denique acres impetus in perfidiam plerumque commutari, qui non tam citò emunt, quàm ſubitò divendunt, nec tam facilè metunt, quàm diſſeminant falſitatem; quo nomine multi in bene conſtituta Repub. puniti ſunt & fuerunt: quod ut principum legati impune aliquando tulerint, tanto quidem ſubierunt invidiæ magis, quanto ad vanitatem ipſorum major acceſſerat authoritas, & auxerat vulgo odium *impunitas, perpetua quadam illecebra delinquendi.* Sit poſtremò legatus, quoad ejus fieri maximè poteſt, ut ſuprà etiam diximus, ſanctimoniæ & caſtitatis ſpeculum: non inventor & artifex libidinis, aut inhoneſtæ alicujus voluptatis. Etenim quò Deo Opt. Max. addictus & devotus aliquis magis fuerit, eò etiam reverentur omnes eum libentiùs: & quò ſibi plura licere legatus arbitratur, eò, ut ſit diuturnior, moderatiùs utatur illa eadem libertate. Fama vulgatum eſt, barbarorum quendam legatum ob nefaria crimina, oſtenſa ex ipſius lege, neceſſitate moriendi, Luſitanos exuſſiſſe. Nec ſcio ſi injuria: Nam legatorum licèt corpora habeantur ſacroſancta; legatio tamen ipſa innocentia debet eſſe tecta, & non ſtupris ac maleficio publico cooperta. Quo loco magnus quidam campus mihi

o boritur

oboritur de jure legationum differendi: antiquissimum enim habetur proverbium: Legatus neque cæditur, neque violatur. Et de caduceatoribus Eustachius meminit; Divinum eos genus existimatos, aut certè inter Deos & homines medium, nec nisi à Læstrigonibus, Cyclopibus, aliisque, qui fas non norunt, de iis aliter cogitatum; eosdem etiam Iovis atque hominum nuncios ipse poetarum deus nominat Homerus, & Xenophon de Pædia Cyri, honorandos ait orarores, itemque Cato: Nemo, inquit, homo nocet caduceatori. Secus tamen se habet de mentitis legationibus: qui aut legati sunt ad neminem, aut legationem suo tempore non proferunt, aut denique si legati fuerint, non tamen ad eum ad quem se missos testantur, quos tamen crebriùs impunitos dimissos, quàm severitate aliqua animadversionis legimus violatos. Nam pulchrè alicubi de Africano Valerius, voluisse eum potiùs, ut Romani Imperatoris decepta fides, quàm frustra implorata judicaretur. Iam & illud in quæstionem venit: an tuti legati etiam cum iis sint, ad quos non mittuntur? Sed facilè ea dissolvitur quæstio. Cùm legati ad hostes missi, hostilia molientes, si paria patiuntur, non habent quod justè doleant, non secus quàm milites, qui quod non pro se, sed pro principe suo se dimicare profiterentur, & propterea sibi vellent parsum. Vnde Livius

de

de Macedonum legatis verba faciens, in hanc loquitur ſententiam: Felici, inquit, primum evaſere mendacio, mox verò cogniti capti ſunt, Romamque deducti. Etenim legati ex ipſo nomine, ad alios non ſunt, niſi ad quos legantur, nec jura legationis obtinent, niſi quibus debent ob conſilia communicanda. Sed hoc quidem de ſtricto, quod ajunt, jure multi eſſe autumant: ſecus expedierit rebus & dignitati regum & principum maximorum. Nam & Alexander Magnus legatis Carthaginenſium pepercerat, qui ad Tyrios in eum animandos erant profecti. Quo nomine Carolus V. Cæſar rurſus à Gallis reprehenſus, quòd eorum legatos ad Turcam euntes juſſiſſet interficiendos. Sed hæc quidem differunt: non enim Chriſtianorum cum Mahometanis communio, nec illorum qui quærebant ſua, cum his, qui divinam tuentur gloriam, ulla eſt ſimilitudo. Sed ad propoſitum revertamur. Sunt enim legati homines pacis, & principis aut Reipub. perſonam gerentes, Rempub. pacificè tractantes, propterea vel apud hoſtes ipſos debent eſſe inviolabiles: nec ſolùm in amicorum tectis, ſed etiam in inimicorum telis tutò verſari. Nam *qui alterius legatos læſerit, non ſperet ſtare jus legationis ſuis.* Eſt tamen exemplum Majoris Africani, qui teſte Appiano rogatus, quid fieri Carthaginenſium legatis deberet, nihil tale reſpondit, quale Carthaginenſes: multi enim

ſpe-

spectant, non quid aliis fieri possit, aut debeat, sed quid institutis patriæ moribusque eorum conveniat. Nam in interdicta legatione supplicum misereri, vel ipso Cicerone de Inventione teste, vulgò omnibus probari, & adeò legatos speculatores & perfidos, impune dimissos legimus vel nonnunquam. Posthumiusque Dictator Romanus, legatos quosdam Volscos convictos speculatores servavit: quia, ut Dionysius prodidit memoriæ, legationis nomini, quod præ se ferebant, plus dandum censuerit, quàm certo facinori rependendum. Quibus tamen rebus minimè legatus confisus, vita & moribus seipsum ostendat honorandum: nam magnus quidam, magnique vir consilii, cum multas & varias legationes obivisset, domum tandem rediens, quid potissimum legato inesse oporteret, quæsitus, manum primùm ori, demum membris admovit genitalibus; quo innuere volebat, legatum utraque re debere esse continentem: sed eadem illa tandem etiam exporrecta manu testabatur, oportere esse magnanimum & liberalem. Quæ quidem magnanimitas non solùm continetur dando, verùm etiam munera aliorum respuendo: nihil enim est inquinatius, quàm eum, quem non modò facto, sed nec violare fas est verbo, muneribus posse corrumpere. Nam qui semel acceperit munera, & largitionibus se patitur violari & corrumpi, is (ut olim in Æschinem quidam dixerat)

non

non jam constans manere potest judex publicorum commodorum; imò ut & legationem rectè obierit, credi, id non oportere, nec fieri posse omnino. *Quandoquidem is, qui pecuniam recipit, sui ipsius dominum illum constituit, à quo acceperit*; ut ex Socrate libro primo de ejus dictis factisque refert nobilis ille Græciæ historicus Thucydides; & Demosthenes in adversarium invectus: Non concio, inquit Æschines, manu in sinu conditâ, habenda, sed legatio eâdem manu in sinu retentâ potius est obeunda. Proinde & alicubi testatur Valerius, legatos quidem aliquando Romanos accepisse munera, sed detulisse in ærarium, idque prius quàm ad senatum referrent legationem: neque sanè id injuria: *de publico enim ministerio nihil unquam privatis accedat, quàm rectè administrati officii commendatio.* Quod nescio, si & in Venetorum Repub. domicilio veteri libertatis & virtutum omnium armamentario, non observatur. Pulcherrimum enim de Xenocrate Atheniensium legato Philippi illud fuit testimonium, quòd solus Athenas muneribus incorruptus rediisset: secus tamen est de esculentis & poculentis muneribus, & parvi momenti aliquibus, quæ aut legato principiò, aut intermedio tempore, aut etiam mittuntur à principe tandem postremò; tantum abest ut ambita, quod nec sperata quidem, quæ licet essent etiam opinione majora, cum quo-

quodam veluti contemptu aspernari, & remittere principi, si non esset, saltem diceretur rusticitatis. Cujus rei reprehensionem legatus ut effugiat, pro re & tempore munera accipiet quidem, sed tum & dona ferentes, tum & principes ipsos, si tanti fuerit, rursus alacriter munerabit, ita nimirum in ore versabitur omnium, & ad ea munera crebriùs sibi offerenda, vicissitudine humanitatis invitatum excitabit non neminem, dat enim aliquis, ut illi detur; & officia præstat, ut referat vicissim. Quanquam hæc mercatura videtur potiùs, qua nihil est sordidius: officia enim & beneficia, si non sunt, volunt saltem videri gratuita. Etenim *non hominum est amicitia ea, sed pecudum, quæ spectatur emolumentum.* Age, an & illud legato non magnopere utile necessariumque fuerit, ut cum iis, qui in eadem legatione antè fuerunt, sæpe multúmque colloquatur: ingenium ejus ad quem mittitur principis, & aulæ procerum mores, regionum situs, instituta & consuetudines nosse prius discat, quàm eò venerit: & omnia vel minutatim ab iis, qui ibi prius versati sunt, pervestiget, quæ ad tantum tamque arduum munus feliciter obeundum pertinebunt. Sicut enim ii, qui difficultates maris superaverint, monent alios fidentiùs: sic & ii, qui magnos legationum exantlarunt labores, præstant consilia saniora: una enim alterave dies tractandis negotiis data, ad

rerum

rerum usum comparandum, multorum mensium præstiterit lectioni, præsertim si tales legati illi fuerint, qui minimè obtuso ingenio fuisse, & cum summis in aula viris amicitiam habuisse videantur: & qui denique nominis sui memoriam in discessu reliquerint gratam, sublimiores honorando, inferiores munerando, & omnes humanitate & officio sibi deviciendo, & cunctis denique aut per se, aut per suos valedicendo: hæc namque officia constant parvo, & magno interdum æstimantur. Qui idem, ut in aulam alicujus regis venerit, nihil habeat prius aut antiquius, quàm sine mora velle adire regem, demum & perpetuò & in omnibus ejus veluti quoddam numen observare: honorare item ejus consiliarios, & non contemnere vel inferiores alios: à sui autem consultò cavere similibus: hoc autem est ab externis legatis aliis, eorumque ministris omnibus, qui huc & illuc cursitant, & minutatim quæque explorant; non quod eos honorare par non sit, sed quod semper inter æquales perpetua in aula est æmulatio, parum fida mutui amoris conciliatrix. Quo etiam nescio quis unius legati errorem aliis ornamento, aut saltem allevamento dixit esse, propterea quòd non tam ille, qui errorem commiserit, citò reprehendatur, quàm alii quodammodo tacitò collaudantur, & adducuntur in exemplum: minus enim habet anxietatis & turpitudinis

error

error per multos latè fusus, neque iis, quæ exemplis defendas, tantopere evadis odiosus; postremò plena, ut dixi, omnia in aula sunt invidentiæ, ut simulandi & dissimulandi tecta sint artificio: & ut ii qui talibus utuntur artibus, parvis sæpe periculis expositi, & excellentes ceu quidam magistri populi sibi videantur: inter namque animantia multa, vulpes sunt astutissimæ; & tamen vulpium, quàm aliorum pelles circumferuntur plures. Nunciet interim legatus aliis lætiora, quæ inaudierit primus; sed ad significanda adversa & ærumnosa sit postremus: & si interrogatus de iis fuerit, nec pervulgata sciverit, occultet ea fronte & sermone, ne in aliena calamitate exultare videatur. Et observandum illud est semper, ut lippis & tonsoribus (quod vetus habet verbum,) priùs innotescant omnia. Demum à palatio regio, & legatorum domo exeant nuntii rerum, præsertim adversarum: *ubi enim plurimum authoritatis, ibi minimum sit vanitatis.* Nitidæ porrò & magnificæ legatorum sint mensæ: personent acutè dictis, & excellentium scriptorum legendis monimentis: absit vero intemperans aut procax locutio, &, quæ aliorum existimationem rodat, calumniandi libido: ubique enim maledici dissimulanter ferri vix debent; sed in summorum principum legatorumque domibus omnium minimè tolerantur, ne falsis adstipulari auditionibus, & patroci-

nari maledicendi videamur libertati. Absint etiam Gnathonum parasitorumque greges, cauponantium item mores & clamores, obscœnæque omnes exulent voces, ne, quæ una maximè regibus eorumque legatis odio esse debet, participes velimus esse levitatis. Seria jocosis in domibus præsertim regum, eorumque legatorum præposterè miscentur. Vnde aliquando Romanorum Imperatorum nescio quis, tribus onerariis navibus, plenis histrionibus in Pontum missis, tres tantùm sapientes pro iis sibi remitti à præfecto postulavit: *modicum enim auri magno ponderi plumbi antefertur:* & denique tam à legato ipso, quàm ab ejus domo blasphemandi, garriendi, insaniendi, aut denique quæ collibuerit agendi semper absit consuetudo. Multa namque in multis notantur aliis, sed potissimùm aut in legatorum comitibus, aut in ipsis demum legatis. Domi item majori ex parte legatus se contineat & dormiat, neque in turbam se frequenter det; in oculis enim hominum quotidie versari quadam veluti satietate, homines quantumvis magnos, minus fecit verendos: & denique voluptatibus aut nimiis, aut etiam illicitis nec privatim neque publice indulgeat, & ad illius exemplum se totus componat, qui vitream domum sibi optaverat, in qua quid interdiu, noctuque ageret, perpetuò conspiceretur. Moribus ve ò & gravitati legati familiares item respondeant, ne-

que, quod omnibus collibuerit, agendi temerè sibi usurpaverint potestatem. Regna multos non capiunt simul: & sicuti quidem plena sunt in aulis invidiæ & obtrectationum omnia, qui vel aliquando sibi plusculum sumpserit libertatis, in immensum arrogare dicitur voluisse. Non possum non meminisse, quid Ioanni Przerembio, Gnesnensi Archiepiscopo, summo illis temporibus viro, sed paulò in suos indulgentiori, Sigismundi Regis Poloniæ apud Ferdinandum Cæsarem legato, Viennæ acciderit, cùm ejus quidam aurigæ prægrandi curru, octo equis junctis, ad secanda ligna extra urbem discessissent, & aut alterius sylvæ ignari, aut longius iter veriti, in proximiorem & Viennæ magis vicinam sylvam divertissent, quæ Imperatoris ipsius non tam usibus, quam delitiis servabatur. Ex hac igitur sylva cùm prægrandem illum lignis onustum currum Viennam traherent, Ferdinandus, ut eos est conspicatus, ira subitò exarsit, & aurigas, cujusnam essent quæsitum mittere, & ipse demum interrogare ipsos non dubitavit. Tum quidem aurigas illos barba paucis illis latinis voculis (si Deo placebant) sapientes, Archiepiscopi Gnesnensis, legati nati, & Regni Poloniæ primatis, ac apud Cæsaream Majestatem Poloniæ Regis oratoris esse se testati sunt, & adeò latino sermone Cæsari respondere non dubitaverunt: Quò magis, re, ut fit,

Ioann. Przeremb. Archiep. Gnes.

fit, in risum versa, & quòd vel ipsi etiam aurigæ apud Polonos latinè loquerentur, omnibus inter se jocantibus, jussi tandem impune sunt proficisci, non sine tamen tacita quadam reprehensione, quòd vel aurigæ tantum sibi sumpsissent in alieno solo libertatis: *insolentia enim ferè semper, pudoris & moderationis nunquam ajunt aliquem pœnituisse.* Etenim licentiosi & insolentes, non modò ipsi, sed etiam eorum causa innocentes multi plectuntur. Itaque nemo quidem legati familiarium authoritate sui domini, si vel maxima fuerit, spiritu augeatur, & quod libêre, hoc & licere passim & ubique sibi existimet: *Sale enim fercula condita, & facta dictaque modestia distincta, nihil habent vilitatis.* Quocirca & legatus ipse non tantùm vivendi, sed & immoderatè expers sit garriendi: quanto enim aliquis continentiùs vixerit, tanto (ut plerumque fit) & à loquendi licentia magis se sejungit, nec ungendi & pungendi (quod vetus habet verbum) utitur consuetudine verbis alicubi faciundis. Quæ quidem consuetudo cùm semper & ubique fugienda fuerit, tùm vel inprimis in consessu regum & principum maximorum. Multi enim teneram, sed potissimùm principes habent cuticulam, qui aculeatum legati sermonem & facillimè sentiunt, & ægerrimè patiuntur. Exarsit aliquando inter Crucigeros & Polonos bellum, vel una Archiepisco-

pi Gnesnensis ad Magistrum Ordinis liberiori voce in tractatione pacis prolata. Et notatus Caroli V. Cæsaris legatus Didacus Mendocius est Venetiis, qui, cùm eò venisset, ad hunc modum apud prudentem illum senatum quasi ex abrupto verba fecit. Audio, inquit, inter Cæsarem meum, & inter Galliarum Regem, vos velle sequi partes, & alere bellorum incensiones; non est quòd ejusmodi consilia molitionesve agitetis. Vidi ego hodie ante hoc vestrum proximè palatium alborum lapillorum acre certamen, quibus ova, invidia ducta, confestim se immiscuerunt, & minutissima in frusta concisa sunt, cùm illud, quod lapides facere viderant, præstare se posse judicassent. Molestissimè tulerunt id Veneti, adeóque legatum monere & adhortari, ne ea libertate loquendi apud eos uteretur, & eam Rempub., quæ mille annis stetisset, factorum suorum rationes optimè nosse non dubitaret. *Fortunæ quippe rationem, & potentes non libenter patiuntur monitorem*; sed ut quidem intemperans alicui visa illa exponendorum mandatorum sit ratio, libertas oris differt à contumeliis, & pro re & tempore aliquando etiam est necessaria. Zbigneus Cardinalis, Polonorum legatus, Sigismundo Cæsari, eidemque Hungariæ Regi Budæ exprobravit ea, quorum, parum abfuit, quin pœnam capitis periculo exolvisset. Sed tamen & evasit salvus,

&

& vel hoc ipſo nomine à dignitate patriæ intrepidè tuenda inprimis eſt dilaudatus. Ac memorabile vel illud quoque fuerat, quibus verbis Helvetiorum confœderatorum legati Cameræ Spirenſis præſidem & conſiliarios ſemel dicuntur fuiſſe allocuti. Evocabantur hi ad Tribunal illud præter morem majorum frequentiùs; ſed quantum in illis fuerat, eò proficiſci identidem recuſabant. Poſtremò verò tandem cum literis & citationibus crebris urgerentur, miſerunt Spiram legatos, viros inter ſe primarios, qui in publicum confeſſum admiſſi, ad eum modum ſuo illo Helvetico idiomate dicuntur peroraſſe. Domini, inquit, confœderati Helvetii vos vicinos ſuos ſalvere jubent. Mirantur verò, quòd tam crebris citationibus veſtris placuerit vobis diu eos vexaviſſe: orant & hortantur, ne ampliùs eos exagitetis. Sed uſi ſunt vocabulo quodam, quod nec dici quidem honeſtè videbatur potuiſſe. Obſtupuerunt ad illa verba omnes; nec reperiebatur, qui facilè reſpondiſſet. Sed re demum maturiùs examinata, ne ferox illa & indomita gens gravius aliquid in eos rurſus tentaret, miſſos fecerunt, nec citationibus illos ampliùs evocarunt: ut enim modeſtia grata, ſic & libertas loquendi alicubi eſt neceſſaria. Qua tamen ipſa nec peræquè ſingulis, nec omni loco atque tempore, nec ſine delectu & freno expedierit uti omni-
 no.

no. Etenim legationes liberæ vocis aliquando feruntur; sed *contumeliosæ linguæ semper & ubique coërcentur.* Cujus rei exempla passim extant quamplurima, adeò ut Spartanorum, Atheniensium, & Iuliani, & aliorum exemplis doceri posset, vel liberæ tantùm vocis legationes punitas extitisse. Quod tamen probaverit nemo: verùm si daretur optio, tutius in unam, quàm in alteram partem utique peccaretur. *Omnes enim reges regere, sed domi suæ adeò etiam aliqui cupiunt imperare.* Quo ipso honorandi sunt magis, si quis vicissim ab iis voluerit honorari. Rarò item & modestè exponendorum mandatorum tempus ab iis est postulandum: *nolunt namque cogi, sed rogari principes; & ab eorum nutu & authoritate, non à nostro arbitratu & cupiditate, nos pendere;* sic demum vel præter expectationem nostris assentiuntur faciliùs postulatis. Semel verò concessum, strictè & accuratè observandum legato est tempus illis ipsis mandatis, quæ habuerit, exponendis. Fit enim, ut una aliqua opportuna occasione apud principes, qui se ludificari non patiuntur, amissa, quàm diutissimè alteram & tertiam expectemus. Sed & exponendorum mandatorum cum obtinebitur tempus, non eo est abutendum. Sermones cum principibus serere, expedit semper parcè: verba ab iis liberè, aut adeò etiam inconsideratè prolata non carpere;

pere ; & vel longiſſimas verborum circuitiones audire patienter , & ſi vel expectationi non reſponderint noſtræ , omnia diſſimulare. Etenim de garrulis legatis dici id ſolet, quod non tam ſortiri , quàm concedere vulgò ſoleant audientiam. Ac reperiuntur profectò vel nonnulli , qui tam ſui , tamque conditionis obliti ſunt ſuæ ; ut ad exponenda mandata horâ ſibi impetratâ , totam illam conſumant , vel nonnunquam nunc his nunc illis ſermonibus cum principe , ac ſi privatus eſſet, ferendis & protrahendis , ſic ut ne unius quidem verbi proferendi principi ipſi reliquerint facultatem : quod cùm principibus , tacuerint licèt , fuerit moleſtiſſimum , tum nec ipſorum legatorum rebus , aut expedierit neceſſitati. *Index enim animi ſemper habetur oratio*, quo penitiùs cognoſcendo , principis reſponſionibus audiendis , legatum patientem & moderatum eſſe neceſſe eſt ; aliàs nihil horum , quæ in rem ipſius eſſent , intelliget , tantùm ſibi ipſi ſapiet , & denique animum principis illa loquendi , & omnia ſibi arrogandi quadam licentia , facilè abalienabit. *Arces enim & poſſeſſiones , quàm rerum intelligentiæ laudem præripi ſibi principes faciliùs patiuntur.* Quò magis eorum vituperanda animi eſt impotentia , qui , tantum abeſt , ut quæ principes verba faciunt , patienter audiant , ut vel adeò etiam eorum ſermones (ut dictum eſt) interrumpant ,

& prolata verba aut sententias reprehendant, quasi ipsi perfectissimi omnium magistri sint atque doctores. Nam si hoc vel illo idiomate profertur parùm emendatè aliquid à principe, mox in quæstionem vocant, & adeò etiam solito carpunt liberiùs; quasi in una aut altera tantum positum sit vocula, & omnium linguarum exactè discendarum principibus necessitas incumbat absoluta, & singulis eorum dictis aut factis ponenda sit tendicula, cùm ipsi nihilo sciant aut didicerint meliora. Sed ingenioli nescio cujus ostentandi ergò hæc & similia loquuntur. Multi enim non tam sunt, quàm videri acuti cupiunt, & vel eò facilius ipsi tandem hebescunt. Quo quidem nomine quendam legatum apud Ferdinandum Cæsarem memorant esse notatum, quo cum Cæsar, semotis arbitris, sermones miscens, cùm nescio quod verbulum contra præceptiones Grammaticas latinè protulisset, è vestigio, quòd non latinum esset, à legato est acclamatum. Tum verò subridens Cæsar, oblitum se esse, quòd cum pædagogo, & non cum legato loqueretur, argutè respondit. Et rectè quidem: quorsum enim fuerat, in eum principem sumpsisse sibi legatum tantum adeò libertatis? Est legati munus, non nisi jussum adesse: non nisi pro re & occasione verba facere, non nisi responsa sibi data patienter audire; non nisi acceptis pauca loqui: non nisi de re & materia

teria tempori, loco, & personæ suæ accommodata, in publico perorare. Turpiter se dedit aliquando Phormio, qui non jussus neque interrogatus, neque suo loco, & coram summo bellatore, de militari re disserendi sumpserat sibi libertatem: omnium autem fuerat turpissimum, legatum cum Cæsare de Grammaticis loqui; aut illum nescio quem alterum obscœnum protulisse verbum, cùm Cæsar tale aliquid, quod ipsi admirationem moverat, fortè dixisset. Debet certè legatus homo esse prudens, & multò antè, quàm fungatur legatione, in agendis rebus, & cum principibus esse versatus, nec tam loquens quàm eloquens, nec tam dicax quàm perspicax, cui etiam ipsi in omni vita & actione, verbis & sermone, habitu denique & vestibus ipsis commendata semper sit modestia: non enim peræquè omnia, quæ licuerint, decuerint derepentè: & quæ convenient privato, non convenient fortasse legato: & secus juveni, secus provectioris ætatis viro, aut seni: secus hujus, secus illius nationis homini: secus externo, secus indigenitali. Erat quidam rex, qui mirabatur uno eodemque ferè tempore, sed tamen disiunctos, & separatim aliquanto missos ad se fuisse legatos duos, Italum Polonicè, & Polonum Italicè. Quanquam enim (quod dici solet) *monachum habitus non faciat:* tamen vel in eo etiam ipso, certa quædam condecentia maximè nos

condecorat. Non enim cuiquam vestem, sed ei qua usus est in die vesti, egisse non neminem gratias audimus vesperi. Aditurus ergo legatus principem, primo illo audientiæ publicæ tempore utatur ipse vestibus, quoad ejus fieri minus potest splendidioribus. De reliquo ipsius nihil disputavero comitatu: illa enim in primo ceu aditu & vestibulo exponendæ legationis divitiarum & vestium ostentatio, habet non obscuræ quid vanitatis, cùm non deesset locus & occasio illarum ostendendarum, vel modico aliquo tempore interjecto, & quidem cum majori legati ipsius prudentiæ laude, aut saltem levitatis excusatione; *progrediendum enim potius, quàm regrediendum est semper*, opibus & divitiis ostentandis. Et haud scio, si expedierit, illa prima, qua legatus audietur, die vestibus indui novis, quòd primus novarum vestium usus injiciat nescio quid languoris, & aliquando vestium illarum crepitus, qui pro crepitu alio fœdiori interpretari solet, audiatur. Omnes autem graves personas movere non convenit risum; sed unum illum minimè externum legatum, à summo aliquo principe ad alium allegatum: & ut denique aurea frena equum, sic vel maxima vestium ornamenta, non fecerint meliorem unquam legatum. Licebit tamen vel nonnunquam etiam vestibus uti legato splendidioribus, præsertim si juvenis aut vir fuerit militaris: habet enim

enim juventus nescio quid delectabilis semper viriditatis, & militia plus libertatis. Observetur tamen illud vel potissimum unum, ut quod ad alicujus diei, vel principis honorem fuerit factum, prælapso illo modico tempore non fiat amplius, & ad suam in vestibus & ornamentis pristinam revertatur legatus frugalitatem. Vt enim voluptatum, sic & pompæ rarior usus, habet plus non modò festivitatis, sed etiam gravitatis: quippe per externa crebriùs interna deprehendas, & ut ex verborum ampullis, sic ex vestium coloribus & modis, mores & ingenia plurium metiare. Avarus interim, & tam in victu, quàm etiam in vestitu, sordidus fuerit legatorum nemo: sordes enim vestium respuit aula, & non jam modestiæ & gravitati, quàm partim id tenacitati, partim verò adscribit egestati. Victus verò & splendore epularum si aliorum erga se humanitati legatus non responderit, arguitur protinus tenacitatis, cum non obscuro legationis suæ despicatu: nihil enim minus, quàm parcitas & avaritia decuerit oratorem, si non aratorem dicendum potiùs, qui suis perpetuò innixus moribus, sanè agrestibus, nec alieno solo, nec elegantia, inter quos versatur, hominum, neque humanitate collegarum condocefacere se patiatur. Locupletes namque & nihili legati, tanquam quidam arietes aureâ lanâ dotati æstimantur. Neque tamen

hoc uno, licèt fœdo, vitio devitando legatus spectetur prodigus. Nusquam æs alienum contractum & non dissolutum, quàm in legato turpius apparet. Aliqui enim legationes ideò dicuntur ambire, ne debitorum compellentur nomine, aut verò perfugium suæ sortiantur egestatis. Age verò, quanta vel in reliquis rebus legato prudentia fuerit opus videamus: summa quidem certè. Etenim cùm nihil difficilius videatur, quàm gravitati facilitatem morum, res longissimè à se distantes adjungere, tamen illa ipsa re legato nihil magis fuerit necessarium. Est enim legatus homo ad principem aliquem missus, referens personam alterius, propter amicitiam, & publicam populorum tranquillitatem. Nam illi, qui à principibus ad privatos, & à privatis ad principes mittuntur, haud scio, si in legatorum numerum jure & meritò referentur. Duplex quippè est legati species, quemadmodum & duplex materia ejusdem functionis. Alii legati tractandorum negotiorum ergò mittuntur, sive pacis, sive belli, sive induciarum illa fuerint, sive verò ineundæ aliorum societatis. Ablegantur alii propter simplicem benevolentiæ testificationem, ut videlicet pateat, quanti æstimamus socios, quanto odio prosequimur nostros & eorum hostes: congratulamur amicorum nuptiis, aut natis liberis, aut partis victoriis; aut verò condolemus morti & infortunio alicui. Et denique alii

sunt

ſunt legati, qui perpetuò in aula principum manent: & alii extraordinarii, & qui ad modicum excurrunt tempus, brevi domum reverſuri. Omnes tamen in univerſum legationes unum illum eundemque finem habent propoſitum, conciliandi animos principum, & publicæ omnium tuendæ tranquillitatis. Vnde & legati partium fuerit, primùm quidem à ſui principis nutu & voluntate pendere, & nihil non agere, quod ipſius expedire commodis & ornamentis inprimis judicabit: Proximum, & alteri pariter, ad quem miſſus fuerit, principi, omni officio ſatisfeciſſe. Si enim hominum legatos cæleſtium legatorum exempla ſequi non indignum fuerit; quis neſcit, quòd officium angelorum primum & præcipuum eſt, exequi divinam voluntatem: tamen eoſdem illos angelos commiſereri noſtræ humanitati, & condonare multa videmus infirmitati, ſic ut ſæpius pro homine, quæ voluerint, impetraverint. Vnde etiam ſacris proditum eſt literis: Regnum cælorum vim pati: quæ ſanè non alia fuerit, quàm amoris & benevolentiæ cujuſdam ſingularis. Si igitur angelus, non ſolùm illi, qui eum mittit, verùm etiam & ei, ad quem mittitur, ſatisfacere deſiderat, quid idem non faciat legatus, ab uno ad alterum principem ablegatus, quod non ſolùm in majoribus, ſed vel in minoribus quibuſque rebus etiam obſervabit. Nam & illud quidem etiam eſt

necessarium, ut semel & iterum, aut ad summum tertiò à principe consiliariisve ejus monitus fuerit, imperata legatus faciat, caput tegat, in loco, qui illi ostensus fuerit, sedeat, liberè mandata quæ habuerit proferat, & qua meliori poterit utatur actionis dignitate. Multa enim in oratore sunt admirabilia, sed una illa dignitas actionis maximè est admiranda, sibilis, murmurationibus & collocutionibus aliorum, si quæ fortè inciderint, turbari se non patiatur: fiunt hæc sæpe casu, fiunt etiam meditatò, apud barbaros præsertim, cùm legati verba facturi versus obscuriora ponuntur lumina, ut de sole atque splendore in obscutiora ingressi titubent & turbentur, & vel aliorum sermocinationibus distracti hæreant, vel alicujus ceu metus imprudentiæve notentur. Ex qua nimirum re capit non nemo ridiculam licèt, nescio quam, in aula voluptatem. Multi enim luminibus suis putant obstructum, si ab externis legatis ad admirationem publicè fuerit aliquid gestum, vel peroratum. Posteaquam verò principis alicujus legato responsum datum fuerit, eo, ad quem venerit, potissimùm venerato, salutatisque perhumaniter omnibus, & prætermissis quibuscunque confabulationibus, domum se recipiat, & demum externos alios legatos, & aulæ præcipuos, domi eorum visitet & alloquatur. Quòd si prius visitatus ab aliquo fuerit, videat, ut vicissim pari huma-
nitate

nitate respondeat, nec se officio in illo ceu primo quodam vestibulo & ingressu rerum superari patiatur. Omnia enim quæ in primordiis rerum fiunt, mentibus hominum faciliùs inhærent, ægriùs tolluntur, & futuri ejusdem legati mores & omnes quodammodo testificantur actiones. Attamen vel hac etiam ipsa in re delectus esto atque discrimen: ne, qui nobis multis gradibus inferiores fuerint visitando, nobismet ipsi principibusque nostris detrahere aliquid videamur. Demittere namque summi principis legato se nimis, valde fuerit inconcinnum: & quia parum consideratè facturos se nonnulli existimant, si venerato ipso rege, alios quoque ejus consiliarios ibidem non salutaverint, propterea quid moris consuetudinisve aulæ illius sit, ad quam venerit, maturè prius exploret, antequam vel in ea re, quantumvis non magna, hallucinetur. Est in more & consuetudine aliquorum regum positum, ut adeò etiam subterfugiant in eorum præsentia id honoris quidam, publicè ab aliis salutari, propter illam unam, quæ cum aliis communicari & dividi non debet supremam regalem majestatem. Infimis enim cum mediis, & mediis cum supremis, semper odiosa & inæqualis est æqualitas, & differunt privatorum inter se officia à publicis legationibus regum: principes ipsi à consiliariis principum, alia denique ratio regii est palatii, alia privatarum ædium: alius splen-

splendor solis, alius lychnorum. Quæ omnia exactissimè debet legatus considerasse: & si in his rebus publicisque muneribus aut inconsideratior, aut paulò fuerit timidior, &, quod à principe jubebitur, tempestivè non fecerit, videat ne quod aliquando omiserit, iterum tandem facere tentet, & id, quod sequetur, non assequatur, ac non modò sibi, sed & suo principi, aliisque ejus legatis post se venientibus prejudicet. Pulchrè enim nescio quis de hoc hominum genere aliquando pronunciavit: Accidit, inquit, iis, quod plerumque hominibus nimia pertinacia & arrogantia accidere solet, ut eò recurrant, idque cupidissimè petant, quod paulò antè contempserint, & observatum denique est, ejusdem principis aut nationis legatis, id quod semel & iterum moniti non fecissent, etiam petentibus his vel aliis facilè postea denegari. Multa quippe in aula nōn semper optima; sed legatorum maximè errata in exemplum rapiūtur. Quod aliquando Caroli Quinti Cæsaris legatus apud Turcicum Imperatorem veritus, cùm ad exponenda mandata accitus aliquamdiu stetisset, neque considere jussus fuisset, veste, quam habebat, substrata, humi ipse sedit, & mandata sui principis nomine intrepidè exposuit. Mox consurgens, cùm illud, quod substraverat fortè, reliquisset, quamobrem id faceret, interrogatus, Cæsaris legatum, sellam sibi portare non solere,

Caroli V. Legatus.

falsè

falsè respondit : ipsis enim principibus, non legatis, si, qui par est, honos negatus fuerit, derogatur. Quod idem & de Sorantio quodam Veneto in Turcia legato vulgò fertur. Secus tamen est in diversarum barbararumque gentium & nationum legationibus, quæ quoniam nihil commune cum aliis habent, nihil etiam, præter majorum morem, illis excipiendis innovetur. Nam perridiculum illud fuerat, quòd quidam, antiqui moris & consuetudinis ignarus, Tartarorum legatis ad Regem Poloniæ accedentibus scamnum curaverat ferri, ut consedissent, cùm illi (ut plerumque fit,) venerati Regem, genibus flexis, mandata suorum soleant exponere, nec secus unquam fecisse memorentur. Quò magis curandum est, ut pro se quisque suo principe dignam humanitatem experiatur legatorum : sed nihil tamen (ut dixi) aut in moribus innovetur antiquis, aut in legato ipso moris vel aliquid deprehendatur incivilis. Etenim non solùm dicta aut facta, sed adeò etiam ipsi gestus, vultus & oculi notantur legatorum : & si his observandis non occupantur prudentes, hominum vulgus, qui bellua multorum capitum dicitur, vult cæteris hac in parte plus dispexisse. Quin adeò eo tumore & animi est arrogantia, ut cùm ingredientem legatum caput tardiùs nudare, aut nudatum mox cooperire animadverterit, multitudo illa non ampliùs caput discooperiat, etiam ipso

Tartarorum Legati.

ipso nudante vicissim Oratore. Scitè igitur quidam dixerat, ad conciliandam vulgò benevolentiam non tantùm procerum favore, aut mediocrium officio, sed infimorum etiam approbatione interdum nos indigere: procerum, ut juvent; mediorum ne impediant; infimorum, ne irrideant, cùm hæc omnia soleant vel nonnunquam usu venire. Impedimur namque faciliùs, quàm adjuvamur; irridemur, quàm miserationem sortimur, si veluti quadam velificatione mutata, contrarium non assequamur? Quid? an & legatorum ipsorum domos violari alicubi non videas? cùm aut sontes non tam legibus quàm parietibus suis tegunt, aut publicis magistratuum edictis aliqua in parte aliquando adversantur. Ibi quidem quantum in multitudinis erga legatum positum sit benevolentia, facilè est cognoscere. Non enim tam citò ad arma conclamatur, quàm, quis furor populi & in legatum offensus sit animus, facilè deprehendas, præsertim si veluti impunitate quadam, & vel dissimulato ad tempus facto, multitudinis in legatum armetur audacia. Non enim jus legatorum temerè violandum est, sed & legati, quantum in iis fuerit, illa ipsa de re cum multitudine experiri subterfugiant certamen. Quo loco multa sunt, quæ de jure admissæ & contemptæ legationis dicerentur, sed haud scio, si omnibus suffecero. Durat quidem officium legati, quàm

diu

diu ipſe in itinere durat, quàm diu in loco manet, & quàm diu eò non redit, unde eſt allegatus. Idque eò ſit vel potiſſimùm, quòd legati nuncii pacis habentur, & nunquam aut à nemine, tanquam homines pacifici, jure violantur. Vnde ille Poëta de Oratoribus Æneæ verba faciens, ſic alicubi cecinit:

Tum ſatus Anchisâ delectos ordine ab omni
Centum Oratores, auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Nam Oliva eſt arbor Palladis, & ſignum pacis: & Æneas optimum quemque legatorum ex ordinibus omnibus delegerat; nemini tamen dederat provinciam belli denunciandi. Quin adeò ex omnibus ordinibus eos ideò ſecreverat, quòd univerſalem pacem requirebat. Non enim decent legatum alia, quàm pacis omnia. Et nuſquam, niſi me opinio fallit, legati admitterentur, nec pro hoſpitibus, ſed pro hoſtibus haberentur, ſi aut hoſtilem animum apertè gereret, aut arma tractare & expedire in eos, ad quos veniunt, viderentur. Modeſtiſſimi igitur legati eorumque familiares ſunto: nam ſi, teſte Ariſtotele, Pontici fibri ſibi ipſi amputant genitalia, cùm in venatu vel maximè peti ſe ſuſpicantur, legati prudentes ea non abjiciant, ob quæ potiſſimùm venirent in diſcrimen? Par tamen eſt, incolumes non ſolùm inter amicorum tecta, ſed etiam inter hoſtium tela legatos verſari. Nam principis propriæ ſunt par-

tes,

tes, non modò curare, ne à se, suoque consilio legatus lædatur, sed neque ab alio quovis injuriam illam patiatur. Aliàs ut Colossi foris insignes, propiùs si accesseris, luto fuerint pleni; sic & principes, si tantùm equis, comitatu, auro, gemmisque nitentur, & in animo magni habuerint nihil, minimè videbuntur venerandi. Est Iureconsultorum quorundam opinio, Legatis, qui apud ipsum sunt, læsis, principis ipsius offendi majestatem, quod ad legatos, inquit lex, oratores comitesve attinet, si quem eorum quis pulsasse & injuriam fecisse arguetur, lege Iulia de vi publica tenetor. Et quidem quòd contra jus gentium peccatum est, tradi solitum fuisse delinquentem, ac domino legatorum violatorem quis ignorat? Qui legatos Apollinatium pulsarunt, Apollinatibus; qui Carthaginensium, Carthaginensibus constat fuisse deditos, & ad supplicium condemnatos. Quanquam & delinquentis principem constituere pœnam, qua injuriæ legatorum vindicentur, si id postulaverint, certissimum est: sic enim Saturninum, quòd legatos Mithridatis gravissima injuria affecisset, à legatis in judiciū vocatum, Senatus mortis damnavit. Hoc enim est jus sanctissimum legatorum, quod qui aliquando contempserunt, gravia ubique mala experti sunt, & infinitas calamitates pertulerunt. Vnde alicubi Cicero: Legati, inquit, quòd erant appellati superbiùs, Corinthum

rinthum patres noſtri, totius Græciæ lumen, extinctum eſſe voluerunt; ut Hammonitas ob violatos legatos à Davide perditos; ut Arabes ab Herode cæſos non commemorem: neque Athenienſes referam; qui malè habito Darii legato, totam Atticam depopulari, & feliciſſimam regionem viderunt devaſtari. Nam & Ammianus alicubi in hanc loquitur ſententiam: Vigilat, inquit, oculus juſtitiæ ſempiternus, ultriceſque diræ ſunt legatorum. Non ſine cauſa tamen monui, omnes legato devitandas eſſe occaſiones, ut aut nunquam, aut rariſſimè ad rixas & diſſidia veniatur. Quòd ſi una aliqua de re à principe aut ejus populis requiſitus fuerit, & eam ſibi neceſſariò faciendam eſſe cognoverit, dicat quidem licet, non ſibi factu id eſſe facile, ſed faciat nihilominus & non cunctanter & propensè. Duo enim per id aſſequetur; Vnum primum, quòd hæc natura eſt beneficii, ut niſi citò & alacriter collato magna habeatur gratia: Alterum, quòd res, quæ à nobis petitur, ſine aliorum ope & conſilio conceſſa, majorem nobis opinionem vulgò parit prudentiæ & authoritatem: neſcias enim, cui interdum plus debeas, an authori beneficii, an verò conſultori. Et pulchrè quidam dixit: *Beneficia à nobiſmet ipſis dari; minas verò noſtras per alios debere nunciari: moleſtis enim homines fugantur, & ſuavibus ineſcantur.* Itaque idem etiam legatus totius aulæ, ejuſque

ejusque tam procerum quàm familiarium investigabit mores, statum, rationes, conditionesque universas: linguam denique & alia intelligere discet: & tam munera, quàm munerum ipsorum expiscabitur momenta, & omnem adeò magistratuum potestatem; ut quantum cuique tribuendum, qua re & ratione gratificandum, quid denique ab unoquoque expectandum sit, intelligat: Et num illa ipsius functio bello an pace, domi an foris, re an opinione magis constet. Sæpè enim harum rerum ignoratione quidam, qui se progredi putant, regrediuntur, & pedibus (quod ajunt) manibusque capiuntur. Ac ut quidem in alto sine ventorum syderumque ratione, sic absque exacta aulæ & ejus ministrorum ac magistratuum cognitione, non peræquè legato omnia facilia sunt superatu. *Est enim in rerum agendarum prudentia multò plus positum, quàm doctrina:* & plus refert unius linguæ exactam, cujus in aula est usus, quàm plurium cognitionem habuisse. Pulchrè aliquando in aula Hispanica Rujugomes ille, cùm quidam à cognitione linguarum ei commendaretur, num etiam Castellæ regni linguam nosset, cujus in aula Hispanica præcipuus usus esset, interrogavit: quam cùm scire diceretur: satis, respondit. Verùm & hæc quidem ipsa, de qua diximus, rerum agendarum prudentia tam rara, & variè variis explicanda occurrit, ut verendum magnopere sit, ne aulæ moribus,

magi-

magistratibus, magistratuumque functionibus, de quibus paulò antè habitus est sermo, rescifcendis temerè sibi imponi legatus patiatur. Quod eò vitabit maximè, si unus ille, à quo id scire voluerit, communicaverit eadem pluribus: vel si ei etiam dixerint plures & magis veraces: dixisse enim aliquem, unum & idém fidenter pluribus, certissimum argumentum est veritatis. Quantum verò ad mores & ingenia hominum cognoscenda spectat, varium sanè & multiplex semper aliorum ea de re est judicium: & ille *vir judicandus optimus, qui minimis urgetur vitiis*, & à rectè & incorruptè judicantibus pluribus commendatur. Nam non temerè Paulus ille III. Pontifex Max. crebris usurpabat sermonibus, Non cum perfectis hîc nos vivere, sed unumquemque hominem in quinque dividendum esse partes; quarum si duas in se bonitatis haberet tolerandum, si tres, debere æstimari probatissimum, cùm difficile sit hominem exuere totum, & quoad hanc sarcinam portaverimus corporis, omnem molem deponere peccatorum. Nec verò ut gubernator, cui majus aut pulchrius est navigium, habetur statim melior; sic & vir, cui fortuna est splendidior. Dies succedit diei, & nihil eorum conceditur uni aut perfectum, aut adeò etiam admodum diuturnum. Quò magis, ut illa ipsa indagatio apprimè utilis & necessaria sit futura, non tàm quidem alienos, quàm

Pauli III. Pont. Max. dictum.

quàm nostros mores inquiramus libentiùs; & illam non dicam summam, sed unam esse semperque fuisse, cognoscere nosmetipsos, sapientiam perpetuò arbitremur. Hoc si non omnibus, at certè nostris probabitur principibus, quibus colendis, eorumque commodis & ornamentis procurandis, nunquam defatigemur; & oblatos quidem eorum causa nobis honores in externi principis aula non refugiamus; sed non usque etiam avidè & perpetuò consectemus. Qui nimis suspici volunt, ridentur crebriùs: & qui ultrò sibi delatos modestè refugiunt honores, ii aliis atque aliis certatim cumulantur. Narratum est mihi, & quidem à fide dignissimis, Legatum quendam Polonicum, magnum illum & Catholicum virum, sed uno aut altero hæretico, præsertim vero Fricio, virulento contra Orthodoxos scriptore, comitatum, ad Carolum V. Cæsarem allegatum, à Duce Albano Cæsarei Palatii primo Præfecto, secretò postulasse, ut inter ipsum & alios Principis Legatos discrimen sciret, & venienti obviam longiùs progredi non dubitaret. Quod tantum abest ut fecisset, ut ne ex penetralibus quidem ædium egredi voluerit: negantur enim ambitiosè petita: ultrò dantur pro se quoque digna: & nihil minus convenit, quàm *Catholicum virum, diversi ritus & dogmatis, domesticos apud exteros habuisse.* Hinc Granuellanus ille senior ad Ioannem Comitem Tarnovium,

vium, Senatus Polonici tum facilè principem, dederat literas, quibus, ut Oratores non tam quidem pompa, quàm rebus instructos, ad eos mitteret, hortabatur. Ridicula enim profectò cùm quorundam aliorum populorum, tum maximè Moscovitarum spectatur arrogantia, qui si aliquando (quod raro fit,) domo efferunt pedem, vel una illa perpetua rerum suarum jactatione molesti sunt audientibus, & alias gentes atque nationes præ se ipsi non obscurè aspernantur. Romæ cùm stupenda illa ædificia eis monstrarentur, & num simile aliquid alicubi vidissent, interrogarentur, multò se in Moscovia habere profitebantur rariora, ut & aliquando, quid conscientia esset, quæsiti, in principis sui Gaza eam reperiri, responderunt. Iam & in Ratisponensibus Imperii Comitiis, quæ Maximilianus Romanorum Imperator, hoc nomine alter, celebraverat postremis, ab Alberto duce Bavariæ pro prandio invitati, cùm ejus hora advenisset, & Dux præcipuos auctoritatis viros in legatorum hospitia misisset; responderant, se non aliter intellexisse, quàm quòd Dux ipse prandere apud ipsos debuisset. Quî enim liceret, tanti Imperatoris, quantus esset Moscus, legatis, prandii ergò huc & illuc evagari? Quid verò de eorum moribus & ingenio alibi quoque notato & deriso loquar? an in Polonia etiam non maximè vituperata eorum est barbaries, cùm ante

Moscorum legati ridiculi.

D se nu-

se nudare alios prius capita, desilire equo, cedere sibi via, & id genus alia imperarent? Vt igitur quondam nescio quis Imperator eos, qui fumos venditare & ventosi esse consueverant, fumo ex arida materia excitato perimebat; sic haud scio, si Stephano Rege Poloniæ auctore, non justas Mosci pœnas dederunt: & cùm à verbis ad arma est ventum, ab illa ferocia loquendi ad vilitatem animi protinus reciderunt. Metus enim Tyrannis, & *didacitas indicium est vilitatis.* Canes enim, qui in mensa mordent, in venatu non respondent. Quæ cùm ita sint, & cùm legatus totius quasi gentis Principisque, à quo mittitur, sui, apud exteros versetur, danda est opera, ut si summa doctrinæ & variarum linguarum cognitionis non habuerit præsidia, vir bonus, & ejus linguæ, qua Princeps, ad quem mittitur, uti solet, non sit imperitus, & tum in moribus, tum in sermone moderatus, ne vel sua nimis dilaudet, vel vituperet aliena. *Principium enim amicitiæ est laudatio, vituperium odii & simultatis. Ita certè naturâ comparatum est, ut suum cuique maximè videatur pulchrum; & ægrè nobis anteponi nostris aliena patiamur.* Quòd si Principi, à quo missus est, suo plusculum legatus tribuerit, quis hoc ei verterit vitio? *debentur enim obsequia amico, laudes Regi & Principi nostro.* Sed & his quidem laudationibus, locus, tempus, modusque certus esto: ne in eo-

rum

rum incurramus suspicionem atque odium, qui domi suæ alienas laudes prædicari ægerrimè patiuntur. Dictu profectò vix credibile fuerit, quàm apud vicinos industriæ potentiæve Principis alicujus fama animo parum audiatur æquo : & quantum exteris datum, tantum per id detractum nonnulli sibi arbitrantur : & quàm denique sibi rebusque suis tum metuant, tum diffidant, hæc taliaque audiendo: cùm variis modis & artibus, tanquam aliud quid agendo, concitetur sæpe in eos expers rationis & quietis multitudo. Itaque ne vel minimam ejus rei suspicionem legatus de se præbeat, non se alienis temere immisceat: non præter modum aut consuetudinem gentis nunc hæc laudibus, nunc illa prosequatur reprehensionibus : & ante omnia, tam in dictis, quàm in factis, nullum relinquat vestigium falsitatis. Nullum enim est turpius, quàm à Principe, aut ejus legato profectum mendacium, cujus gratiâ ne vera quidem dicentibus fides habetur. Quo loco quæritur : Vtrum nunquam, aut verò aliquando etiam pro re & tempore licuerit legato aliquid confinxisse. Sunt enim quædam mendacia, quæ dicuntur officiosa, quibus nonnunquam Imperatores exercituum inter milites utentes, & falsum aliquid in medium afferentes, salutem dederunt exercitibus, Magistratus populis, Consiliarii Principum indigenitalibus & concivibus

suis: sed tamen mendacium inferioris erga superiorem non modò temerarium, sed adeò etiam fuerit periculosum, proptereà quòd is, qui dicit falsitatem, plus scire se, & illo, cui dicit, meliorem esse tacitus quodammodo profitetur. Et quoniam Principes sunt omnibus majores, & haud dubiè volunt videri aliquanto etiam meliores, multum legati amittunt apud eos fidei, si vel minimum deprehendatur in iis falsitatis: silere quidem tutior videtur modus veritatis occultandæ: nam nunc ignorantiæ, nunc negligentiæ prætendi potest excusatio. Si tamen anxiè de veritate quæramur, non usquequaque expedierit eam celasse: ut enim orator, quo nomine legati appellantur, si vir bonus esse & appellari cupit, opprimendo innocentem, velare faciem non volet opinor veritatis, sed salutem tantùm afferre periclitantibus; sic & legatus, dum datur occasio, non ad aliorum exitium, sed ad principis salutem, si tamen hæc disjungi poterunt, vera loquendi commendatam habeat libertatem. Inprimis autem incerta pro compertis, falsa pro veris, seminota pro exploratis, nunquam aut tuebitur obstinatè, aut in apertum proferet præfidenter. Hæc enim (ut plerumque fit) aut intellectus tribuuntur imbecillitati, aut malignitati. Multa enim alia, sed vel hæc potissimùm tria, nostræ imprudentiæ fuerint semper argumenta: incognita pro cogni-

tis

tis apud nos habere : in res non neceſſarias & exiguo tempore duraturas ſumptus nimios facere : & denique novarum rerum & auditionum temerè ſe conſtituere authorem. Iam enim & illud legatus obſervandum ſibi perpetuò meminerit, ne eos, qui ſub legibus ſilentii ſe ei concrediderint, temerè ſeu adeò etiam perfidiosè aliquando prodat & periculis objiciat : cùm enim, præter quod indigniſſimum fuerit, de nobis bene mereri cupientibus malam referre gratiam, *nemo unquam fidit amplius ei, quem ſecreta ſibi communicata ſcit facilè effutire.* Poſtremò nec ſperabit, nec deſperabit legatus ſubitò de toto eventu & conſecutione rei, tam ordiendis negotiis, quàm etiam terminandis: parvis enim momentis magnæ rerum & temporum inclinationes fiunt, & vel optimè cœpta tandem non procedunt. Principem ſuum nulla unquam de re, cujus certa & evidentia ſigna vel non habuerit legatus teſtimonia, faciat certiorem ; ſecus quidem, ſi non fidei, prudentiæ certè ſuæ imminuet vulgo opinionem. Nocuit ſemper vanas ſpes & cogitationes ſecutum, tempus, quo nihil eſt carius, amiſiſſe. Scribendis literis probè diſtinguat omnia, & quæ conſtant conjectura, deciſa & in vulgus emanata ſecus judicabit. Differunt & illa, quæ ab ipſomet principe prius vel poſterius, & quæ rurſus ab illius audientur Conſiliariis. Multa quippè ad terrorem, multa ad fa-

ciendam inanem spem, multa ad expiscandam alterius dicuntur voluntatem. Quæ omnia quidem necesse est notare; sed non expediet peræquè æstimare, aut literis subitò committere, cùm aut nullum, aut quàm modestissimum suum de iis interponendum sit judicium: propterea quòd suam de rebus sententiam non libenter velint Principes præoccupari. Quid tamen non modò prudentiores, sed & vulgus hominum vel de Principe loquatur ipso, potest aliquando commodè legatus innuere: siquidem communicãdis Principi suo consiliis, induit quasi personam, in quo libertas sententiæ imprimis est laudabilis ipsius Senatoris; & cùm negligere quid de nobis vel multitudo ipsa interdum dicat, aut sentiat, non modò superbi, verùm etiam sit omninò dissoluti. Ac ne multa, nihil non rimabitur, nihil non vestigabit, nihil non dicet & perscribet legatus, quæ ad principis sui non modò dignitatem, verùm etiam pertinuerint animi voluptatem. Nam vel minutiora & inutiliora quæque, Epistolæ pro tempore inserta, sæpè delectant. A Francisci I. Galliarum Regis funere, ad Paulum III. Pont. Max. quidam ejus legatus, quamdiu candelæ funeri prælucentes arsissent, inter alia, quæ forte scripserat, commemoravit, & illud præterea addidit, ad neminem alium, quàm ad suum Principem talia scribere eum voluisse, cujus auctoritas summa, ne quid fortè vel minu-

minutissimorum prætermitteret, officii eum admonebat. Privati enim parvis industriæ voluntatisque erga eos nostræ significationibus conquiescunt, principes vix aliquando contenti esse vel maximis solent, & jure non debent. His igitur similibusque rebus, & industriæ ac indefessi nostri studii testificationibus, legatus suo principi velit reddi commendatissimus; sed neque ejus principis, apud quem versatur, conciliet sibi aliquod hoc nomine odium aut malevolentiam vix ullis officiis postea abolendam. *Debemus enim ita gratificari uni, ne injurii simus alteri*; & ita scienter inter homines versari, ne alicujus temeritatis meritò inculpemur; mundani enim omnes sumus, & in hunc orbem nos immissos, ut mutuam nobis præstemus operam, non inviti profitemur. Unde olim coquis, lenonibus, & id genus aliis vilioribus ministris, non dissimiles esse legatos, scio dixisse non neminem, & haud scio an immeritò. Neque enim interdum earum rerum magna est dissimilitudo: & quemadmodum coqui fercula condiendo, aut lenones amantium inter se iras & diffidia mitigando; ita & legati principum conciliaverint animos, rectè & scienter res, quæ ad eorum concordiam facerent proponendo, & nunc hanc, nunc illam partem ratione & argumentis convincendo; præstiterit tamen benignos, quàm malignos affectus, quos odium &

inimicitia comitatur semper, magis commovisse, & apud quemlibet principem ita se gerere, ut non modò prudentem, sed & sibi rebusque suis faventem eum, qui ad se missus est, legatum, certò sibi polliceatur: dimidium enim vel prima legationis die deposuerit oneris, qui principem sibi benevolum fecerit causa ejus, qui expectatur, honoris, quod sine magnis ingenii & eloquentiæ viribus præstari non solet, ac proinde multum in iis studiis collocari operæ & diligentiæ debet. Vnde infortunia sua apud Latinum decantantes, & loca ad habitandum petentes, pulchrè alicubi Trojanos induxit Poëta oratores:

Quanta per Ideos sævis effusa Mycænis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis,
Audiit, & si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti
Diis sedem exiguam patriis, littusq; rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.

Nec satis est dicere, sed expedit etiam facere, cum mica salis, graviterque omnia, & tam sua quàm principis sui maxima cum dignitate. Multi enim reperiuntur, qui quantumvis apud se, bonum licet propositum finem sæpius habuerint, in rebus tamen ipsis tractioneque illarum aberrant à sco-

ſcopo: & aut in ſuſpicionem non rectæ fidei, aut levitatis incurrunt. Venerat olim pro imperii comitiis Ratiſponam Moronus, at qualis & quantus Cardinalis? Gregorii XIII. Pont. Max. ad Maximilianum Cæſarem, ejus nominis ſecundum, legatus: & quia Stephani Bathorei, Cæſaris æmuli, eodem illo tempore in Regem Poloniæ inaugurati, ibi quoque legati, quos medicus quidam ejuſdem Cardinalis viſitabat, ſpectabantur, ſuſpicari illico, non temerè illud fieri, eſt cœptum, & de omnibus iis, quæ inter Cæſarem & legatum tractarentur, reddi eos proculdubiò certiores. Quo adeò nomine ipſo expoſtulavit cum Morono Cæſar vehementiùs, & cùm ejus ſuſpicionis cauſa, tùm quòd ſuum quoque legatum, ad Gedanenſes profectum, violatum in Polonia audierat, Stephani Regis legatos Ratiſponâ diſcedentes juſſerat in itinere detineri: qui tamen, Cæſare vita functo, ſtatim ſunt dimiſſi. Quod ideò commemoro, ut legati omnes memoria teneant, nullam vel minimam ei, apud quem verſantur, principi occaſionem præbendam de ſe eſſe ſiniſtrè aliquomodo ſuſpicandi. Non enim rectè facti tantùm legato ſuffecerit conſcientia, ſed adeò etiam ſumma neceſſaria eſt prudentia, animis principum inter ſe conciliandis. Quo etiam magis omnes apertas vitabit legatus inimicitias, & nec falli quidem, ſed neque volet fallere, aut verba dare alicui, perſo-

næ & authoritati suæ confidenti. *Polliceri enim, quod servare non possis, aut minus velis, falsitatis; digladiari, quibus cum non debeas, imprudentiæ est singularis.* A Sigismundi Augusti Regis Poloniæ morte, Ioannes Monlucius, Caroli IX. Galliarum Regis legatus, in Poloniam fortè venerat, & ut Henricum regis sui fratrem creare potuisset regem, aureos quod dicitur montes non modò ordinibus, sed & hominibus penè promiserat universis. Tandem verò cùm pro inauguratione regis ventum esset Cracoviam, inter tot atque tantos, qui in regio comitatu advenerant, proceres, unus ille, qui maximè expectatus adfuisset, desiderabatur Monlucius, & ideò Cœnobii præfectus, per locum & ludibrium non à nemine fuerat appellatus. Ferunt enim, peregrè quibusdam discedentibus, monasterii præfectis suas antiquitus res tradere non dubitavisse: quas recuperare volentibus, præfectos cœnobii nondum revertisse solitum erat responderi. Quo eodem modo Gallos secum agere nonnulli affirmabant, cùm, à quo promissa sibi facta peterent, Monlucium desiderarent. Vna igitur illa falsa pro veris dicendi, fugienda legato est consuetudo, & ne ad jurgia, rixas, vel certamina aliqua ullo modo ab eo veniatur. Etenim ut unus quidem altero susceptarum inimicitiarum minorem causam legatus habuerit, non omnium tamen optima fertur pro utroque sententia, aut saltem,

Ioan. Monlucius, legatus vanus.

tem, quod hic & ille egiſſet, dicuntur non habuiſſe: diu enim arcus tendendus, & antequam aliquid, quod nolis, excidat tibi, animus eſt comprimendus; niſi fortè aut noſter, aut noſtri principis agatur honos, qui impoſuerit onus, vel morte ipſa turpitudinis & ſervitutis à nobis noſtroq; principe repellendæ, quod ut vitari omni ratione & occaſione queat, ferantur multa diſſimulanter neceſſe eſt, antequam ſanguinis effuſio, cædes & laniatus noſtra cauſa ſubſequantur. *Omnibus enim, ſed ſenibus & publicis perſonis maximè fœdum eſt cruentari.* Quod ut adeò contentione & exemplorum varietate planum fiat, quæ paulò etiam acciderunt antè, breviter repetamus. Riſit Sigiſmundus I. Rex Poloniæ Ioannem Dantiſcum, primùm quidem Culmenſem, poſtea Varmienſem Epiſcopum, apud Carolum V. Cæſarem diutius commoratum, eo die feſto, quo ſibi ab Imperatore ad frequentandum cum eo templum, alternatis cum Luſitaniæ Regis Legato vicibus, vitandæ contentionis ergò fuerat aſſignatus, tanquam aliud agendo Luſitanum legatum loco moviſſe, & per ſpeciem collocutionis, quam porrigenti manum cum eo habiturum ſe ille crediderat, è loco ſic moviſſe, ut ne conquerendi aut altercandi cum eo cauſa reſtare legato videretur. Sed non riſerunt Italiæ principes, qui internuncios apud Imperatorem Rudolphum ſuos in ponte Pragenſi, obviam ſi-

bi factos, quod unus nolebat cessisse alteri, tota die intellexerunt stetisse, cum irrisione prætereuntium. Volunt enim principes legationes suas gloriæ & amplitudinis eorum testificandæ esse campum, non ineptiarum & sannionum ullum theatrum. Quo etiam hæc & similia, quæ ipsis dedecori essent futura, legati magis declinabunt, & circa principes amicos habere enitentur, qui omnia dicta & facta ipsorum recta & felicia augeant sermone, paulò adversa extenuent, quacunque poterunt maximè ratione: multum enim apud principes in domesticorum illorum positum est patrocinio, & prima quasi narratione factorum; sed utrique viderint, ne ullam vel minimam ejus rei, quod hæc videlicet ex composito fiant, veram de se suspicionem inveniantur præbuisse. Emendicati quippè favores tamdiu juvant, quàmdiu, quod emendicati sint, intellectum non fuerit: semel cognita falsitate, etiam illa, quæ verè anteà fuerant dicta, instar habentur figmentorum. Proinde danda erit opera, ut eorum, quod scitu imprimis necessarium fuerit, effugiat nos nihil; sed ut etiam in narrationibus rerum vel eventuum nullum vel minimum vestigium nostræ in credendo deprehendatur levitatis. *Scire enim plurima, eademque secreta, summæ argumentum est prudentiæ*: facilè credere, & falsa pro veris admittere, rursus illius regulis & expectationi ad-

ni adversatur. Magno honori cuidam Cardinali, qui vulgò Granvellanus dicebatur, fuerat, cùm nescio quo loco aut tempore variè variis de fœdere inter Venetos & Turcam icto (ut fit) disceptantibus, certa ejus rei documenta proferre potuerit, & qualis ac quantus vir esset, cùm aliis multis, tùm vel illa etiam ipsa re procul dubiò ostenderit. Sed è contrario risu exagitabatur Saxoniæ Ducis, & Philippi Landgravii Hessiæ, bello Saxonico, in Galliis legatus, qui de Caroli V. Cæsaris in Germania progressibus Franciscum Regem debebat facere indies certiorem, & non prius, quàm ab ipso rege didicit, dominos suos à Cæsare detineri. Libenter quidem communicari avent principes sibi multa, sed fastidiunt inepta, aut omninò etiam antea pervulgata. Quo magis tam seriis quàm jocosis rebus patet legato locus principis gratiæ aucupandæ; sed utatur non abutatur eadem legatus facultate. Tribuerat tantum Dantisco, Sigismundi Regis Poloniæ apud se legato, Carolus V. Imperator, ut cùm aliquando omnibus externis legatis, ne in Hispanias navigantem ex Belgio sequerentur, dici fecisset, soli Dantisco contrarium curaverit postridie nuntiari. Tum ille, ut lepidus fuerat, Bene est, inquit, proficiscamur; sed sicuti quidem voce præconis ea generatim omnibus profectio inhibita fuerat, sic rursus ejusdem voce necessitas mihi quoque speciatim imponatur.

Ioan. Dantiscus.

natur. Assensus est Cæsar, & ille non solùm in Hispanias eum comitatus, sed & maximis honoribus in iisdem Hispaniis fuerat ab eo auctus, cùm in numerum illius nobilitatis, cum toto suo genere & agnatione referretur: amant enim ingenia principes, sed cupiunt vicissim candidè redamari. Ebriosus, scortator, aleator, atque aliis ejus generis vitiis deditus legatus, nunquam putetur, nec faciundis itineribus suscepta profectione lentus, neque voluptatibus blandissimis dominis aut deliciis quærendis occupatus. Notabatur eo nomine legatus quidam, quòd cùm aliquam viæ partem fortè confecisset, subsistebatur evestigio, & vel non necessariis faciundis sumptibus iterum & iterum immorabatur. Mox mittebat rursus domum pro pecunia, quam antequam accepisset, tantum interdum alieni contrahebat æris, ut ne pecunia quidem allata illud dissolvere potuerit, parumque abfuerit, quin à principe suo, qui illam ipsius itineris ægerrimè ferebat tarditatem, revocaretur: seria enim seriò tractanda, & suscepta publico nomine itinera, nullis adhibitis voluptatum lenociniis, sunt conficienda. Meminisse pro se quisque debet, Annibalem armis invictum, voluptatibus & luxuriæ Capuæ manus dedisse; & Prosperum Columnam, qui foris tot tantisque hostibus juvenis sæpè restiterat, muliercularum amoribus domi senem resistere non potuisse.

se. Turpe namque omnibus, *sed turpissimum est repuerascere senibus, legatis & militibus*. Peragrandis porrò regionibus, omnia & singula notet, & notata item ab aliis ad manum habeat semper, ut facilius intelligat locorum rerumque momenta omnia, tam præsentis temporis, quàm ipsius etiam antiquitatis. Scire quidem & videre semper aliquid novi desiderant ferè universi; sed cum ratione ac delectu peregrinari didicerunt paucissimi. Quo etiam cœlum non animum dicuntur mutare, qui aut vertunt solum, aut trajiciunt salum, & non secus ac alii veredarii, vel tabelliones videri, qui vel magna una die terrarum percurrunt spatia, sed nullum inde profectum sortiuntur. Quidam enim non secus, ac aliquid mercium plena sed malè dispositarum dicuntur testudo, quòd multa viderunt & audierunt, sed non peræquè scienter visis auditisque utantur. quo magis expedierit notare indies singula, & loca ac personas quæ occurrerint, & quæ opportunè aliquid nobis nunciaverint, observare: nulla denique non occasione vel ex itinere ipso dare ad principem aliquid perpetuò literarum: multa enim multos delectant, sed nihil magis quàm sapientes reges literæ, seu quidam nuncii & interpretes mentis ipsorum legatorum. Nam si laudatum in pictore illo fuerat, quod nullam ferè diem sibi excidere, in qua vel unam non duxisset lineam, permittebat, quantò

quantò erit legati scribendis crebrò ad suum principem epistolis diligentia commendatior? & cùm non uno aut altero, sed tribus atque adeò pluribus itineribus, & tam mari, quàm terra susceptis, transmittet literas, ut pari modo, si ita necessitas postulaverit, vicissim ei respondeatur, maximè si & itinera longiora, & suspecta fuerint loca, quæ terra marique sunt superanda. Accedit, quòd per errorem alteri alicui inscriptæ literæ, moram afferunt rebus, & multifariæ viæ sint erroris, una illa & certa veritatis: quapropter vel ante illud etiam tempus ipsum, quo commoda transmittendæ epistolæ expectatur occasio, tempestivè exarentur literæ, ne si secus acciderit, tandem transmittendarum facultas elabatur. Scribendum quidem esse satis constat necessariò, & illud ignoratur, quo argumento, per quem, quomodo, & quando. Anticipare igitur tempus, non abs re interdum fuerit: & si videbuntur suspecti tabellarii, aut cuipiam alteri inscribere epistolam, erit necesse, à quo ut principi ejus reddatur, legatus postulabit, aut verò ignotis notis separatim ab aliis literis eam prorsus exarare; ut ille, cui interpretandæ epistolæ, & notarum indicandarum incubuerit cura, minus illorum sit conscius, quæ usitatis characteribus scripta constabunt, quo magis & linea in epistola, quæ ignotis exaratur notis, cuilibet folio sit circumducta, ne præterea aliquid additum

videatur:

videatur: prius tamen ille, ad quem tales ſcribentur literæ, omnium harum rerum exactè admoneatur. Nam licèt vel ejuſmodi diligentia tandem etiam eludatur, tutiùs in hanc ſemper peccabitur partem, ut cauti & ſoliciti, quàm indiligentes & ignavi habeamur. *Cura namque & cogitatio acris, malleus eſt omnis difficultatis.* Interim his ſimilibuſque agendis, nec occaſionem aliquam de ſe ipſo aliis ſuſpicandi legatus dabit, nec frivolis ſuſpicionibus nunc de hoc nunc de illo laborabit. Frivola ſuſpicio conſilii argumentum eſt inopiæ, & maligni, qui criminis expertes ipſi non ſunt, ingenio ſuo alios metiri plerumque conſueverunt. Diem, & ipſam denique horam, qua ſe in viam tabellarius dabit, ſuo legatus perſcribet principi, & iis, qui ſe ultrò tranſportandis offerunt literis, fidem haud ita magnam peræquè ſemper habebit. Quod tamen ipſum ut quàm maximè occultare poſſit, ſcribet nihilominus aliquid, quod parvi momenti fuerit, & majoris cautionis in poſterum ergò, ſi illa fortè reddita, vel ſecus, epiſtola fuerat, ſemper inquiret: bis enim ab uno decipi, & geminatis vicibus coctum ſumere prandium, eſt ſubmoleſtum. Poſtremò, cùm hinc & inde varia & multiplicia occurrerint negotia legato in aula expedienda, dabit operam, ut quæ prius, quæve poſterius tractata ſunt, ſuum principem faciat certiorem: & adeò vel verba inſerat ipſa,

quæ,

quæ, & à quo, & quo loco, quo vultu, gestu, tempore ad eum prolata sunt & fuerunt, & num à principe ipso, num ab ejus consilio, num verbis, num scripto, num ex tempore, num verò etiam meditatò. A prudentibus enim non modò ipsæ res, sed rerum etiam momenta omnium, circumstantiæque adeò universæ, ad certam rationis normam, quàm vulgus hominum facere consuevit, acriùs expenduntur. Quo etiam legatus ea, quæ notatu erunt digniora, in calce literarum non invitus repetierit, & omnem vel minimam notam vitaverit falsitatis: labilis est memoria, & aliquibus tantum abest, ut necessaria sint frena, ut ne quidem suffecerint calcaria, præter morem. Quò consultius, etiam crebrius ii, in quorum nobis commodis positum aliquid est, occurrunt admonendi, suppressis authorum nominibus, à quibus quid in rem nostram principisque nostri facit, auditione aliquid acceperimus. Scribendis autem ad principem raptim, (quod aliquando contingit,) rarò autem contingat, epistolis, si alicubi erratum fuerit, expungantur, quàm eradantur potiùs characteres, ne doceamus alios artem & perversum usum eradendi: *facilius enim vitiosa sequi, quàm bona imitari homines videas*, & raptim scribendis literis non nemo suspicatur, quod contemnas. Privatarum suarum rerum in epistola ad principem inseret legatus nihil, præsertim si alio

alio modo ad notitiam ipsius posse eas deducere videatur. Peræquè, imò & majori curæ sua, quàm vel principis sui inde plerumque dicitur habuisse: & ita revera natura comparatum est, ut alienis spectandis omnia nobis instar pyramidum, nostra verò appareant humi repositorum quasi nidorum. Vnde scribendis literis arripimus facilè occasionem, quas principes rebus cum suis misceri ægerrimè ferunt, nostra de infelicitate querelarum. Accuratissimè porrò omnes scribet epistolas, & earum sibi exempla multis & magnis usibus servitura reservabit: nec verò uno eodemque signo eas communiet, nec unis iisdemque scribet characteribus semper; ut eorum audaciæ viam obsepiat, qui nunc manum, nunc signa aliorum adulterare consueverunt. Multi, qui veritatis non potuerunt, aut potiùs noluerunt via, sumptus cupiditatum in via quæsierunt sibi falsitatis. Si epistolam plura habere contigerit folia, non ea consuat, sed quod aut prius, aut fuerit posterius, unicuique inscribat foliorum. Si quid secreti alicubi amiserit, cogitet, in cujus manus venire illud potuerit, & nullum laborem aut sumptum refugiat, ut recuperare illud possit: quòd si minus poterit, nunquam temerè ei se credat, contra cujus salutem machinatus est aliquid, aut verò dignitatem; & nec sit sollicitus, cui hæc vel illa usui servierit præceptio: sat sit recta monenti paruisse. Multa sunt,

quorum

quorum & Iureconsulti in suis libris rationem non reddunt; & tamen sapientissimè esse scripta & constituta, quis ignorat? Me quidem, ne his de rebus plura disseram, legati ipsius, quem non temerè jam vel antè in rebus versatum, & non tyronem futurum crediderim, retrahit prudentia, tum & rerum, quæ una ex alia gignitur hac in parte, magnitudo. Quò enim altius dicendo de hac materia invehor, eò mihi minor spes affulget portus aliquando capiendi. Quapropter cùm de legato ejusque adjumentis & exercitiis dixerim, de ipsa quoque, quæ propriè in manu est principis, dimittenda subjungam aliquid legatione. Negant, (ludicra enim miscere seriis aliquando libet,) in Turciam alios quàm ablegari animo debere fortes & liberales: quia, ut plerumque fit, Turcæ partim minaces, partim verò sunt petaces. Vt ergo minus minas vereantur, & pro re & necessitate munera & pecunias largiantur, nec timidos neque parcos dimittendos: Cautos in Moscoviam, quod ibi Græca vivatur fide, & rarò quid concedatur sine longa licitatione. Romam mittantur pii & religionis observantia noti, & potiùs politici, quàm ecclesiastici ordinis viri; ut eorum petita, qui Pont. Max. minus obnoxii sunt, majorem habeant authoritatem. In Hispanias moribus & ingenio ablegentur sedati, & quàm minimè novarum rerum dogma-

Legati in Turciam.

In Moscoviam.

Romam.

In Hispanias.

tumve

tumve appetentes, quia ibi velint nolint facilè in officio continentur. Per totam Italiam proficiſcantur humani & officioſi, cùm ibi earum rerum quaſi quoddam perpetuum ſit certamen. In Gallias ingenio celeri, aut potiùs verſatili, ut ex re conſilium capiant, & ſcenæ, quod ajunt, ſervire ſciant, aut verò diſcant. In Angliam dimittantur formoſi & proceres, cùm talibus viſis ſtatim Angli in admirationem rapiantur, & quòd Angli non ſint, dolendum crebrò loquantur. In Germaniam promiſſorum tenaces, cùm antiquitus dictorum factorumque conſtantia Germani fuerint celebres. Vbicunque autem locorum legati ſint continentes & abſtinentes: nam non temerè duæ illæ voculæ multorum ſemper fuerunt in ore, *ſuſtine & abſtine*, niſi quòd in his veluti duobus quibuſdam vitæ præſidiis multum videbatur poſitum tum utilitatis tum verò etiam dignitatis. Et denique quam patresfamilias Hiſpani peregrè diſceſſuris filiis, modico viatico dato, eandem principes legatis ſuis, ſed pro dignitate ſumptu ſuppeditato, commendent gravitatem. Concurrant enim in legato oportet plurima; ſed una illa maximè ſpectetur gravitas, quæ tamen expers occulti in legatum ſit odii, & habeat plus amoris quàm alicujus formidinis, plus integritatis quàm aſſimulatæ bonitatis, & quæ privatam cum publica perſona ſic legati commiſceat, ut & illius

In Italiam. *In Galliam.* *In Angliam.* *In Germaniam.* *Vbique.*

principis,

principis, à quo mittitur, odiosam majestatem, & ejus, ad quem venit, minimè à se abalienatam reddat voluntatem. Cujus etiam personæ insit vel aliqua ex parte claritas & nobilitas generis, pulchritudo & concinnitas corporis, liberalitatis exercendæ facultas, peragratio exterarum gentium, lustratio regiarum, intelligentia rerum, usus & tractatio negotiorum, multarum & variarum historiarum lectio, & ejus denique philosophiæ partis cognitio, quæ ad formandos mores, administrationemque justitiæ, & scientiam pertinet gubernandi: huic demùm etiam fides in principem esto, amor in suos, comitas erga exteros, vivacitas ingenii, ars & copia in utramque partem de rebus differendi, & doctrinæ literarum studium proprium ac peculiare: humanitas postremò in convictu & colloquio familiari, constantia in colendis amicitiis, prudentia in cognoscendis, & tarditas in diffuendis potiùs quàm disrumpendis. Quæ ut aliàs etiam dicta fuerint, placuit vel denuò de legato attulisse. Iam verò dandorum legatis mandatorum duplex est ratio: libera una, literis & ceu quibusdam cancellis circumscripta altera. Nihil autem minus quàm certum de legato ferri potest judicium, cujus, quod sibi videbitur, agere conceditur potestati; & tamen antiquitus etiam id usu receptum fuisse ambigat nemo, qui modò in historiarum lectione paulò est

versa-

versatus. Quid enim? an Carthaginenses olim, an Achæi non miserunt suos legatos Romam, quibus liberè, quod vellent, agendi dederant facultatem? Quid? an rursus iidem illi Romani ad Coriolanum, & ad eam, quæ secesserat plebem, cum tali eademque potestate legatos non dimiserunt? Nam ut hæc res periculo quandoque non careat, pro re tamen & occasione est necessaria: multa enim nec opinantibus eveniunt, de quibus nihil prorsus constitui in mandato poterit, & haud scio an debebit. Exempli gratia. A morte Ferdinandi Cæsaris Maximilianus Cæsar ejus filius tardius paulò legationem Constantinopolim misit, pactis & fœderibus pacis cum Solymano Turca confirmandis. Misit ergo Solymanus ad eum suam, ut multi crediderant, pacem postulatum; sed ita, ut, si fortè in itinere fieret ei Cæsaris legatus obviam, statim Constantinopolim reverteretur, imperaret, & reversus est, resque ad illud bellum, in quo Giula & Seget est captum, tandem devenit. Quid hîc poterat aut debebat legatus Cæsaris præstitisse? aut quomodo contra illam barbari molitionem poterat aliquid legato committi, quo eludi potuisset? Multa ergo ut dixi præter opinionem eveniunt, & multa legati credi debent prudentiæ, ac necessariò committi potestati; sed & ille non obliviscatur ejus, à quo missus fuerit, authoritatis: expedit enim

enim semper Menenii, aut Manlii illius Romani imitari exemplum, qui, licèt summa donatus fuerat à senatu potestate, non tamen usus ea est impotenter, cùm quædam ab eo præter expectationem peterentur, & nimirum Menenii consilium sive factum non tam per se, quod rectum fuerat, commendatur, quàm ipsi contrariis Cassii actionibus, cujus Dionysius meminit, illustratur: qui accepto à patribus honore, non eum, quem par fuerat, vicissim honorem habuit, nec unquam consilium cum iis communicavit: par enim est, ei, qui dat totum, particulam vel aliquam reservari. Porrò variari hæc locis & temporibus non nego, & multa incidere, quæ moram non patiantur, liberè affirmabo; sed tamen in perspicaci multum positum legati est prudentia, qui, quæ fides & in principem observantia ejus sit esseque debeat, consideret, & tam à quibusdam, quæ illi permittentur, consultò abstineat, & principem suum requirat, quàm & iis rursus liberè faciat finem, quibus nulla videbitur mora debere interponi, sed uno illo candore & sinceritate in omnibus singulisque utatur. Nàm quemadmodum personati, sic & simulatores, nec peræquè omnes & semper, nec diu delectant. Ac ut dubitandum non sit, illos, qui futura prædicunt, multò plus, quàm veri, habere falsitatis, tamen mirum est, quantum inter hos & alios mentientes habeatur discrimen:

men: his, ut semel deprehensi in mendacio fuerint nulla; illis, qui futura denunciant, vel aliqua semper adhibetur fides, ut sint fuerintque falsissimi. Quod non aliunde provenit, nisi quòd sicuti medicis salutem promittentibus, sic & ariolis aut Astrologis futura prædicentibus vulgò multum est authoritatis: semper enim dominantibus infesta, præteritorum obliviosa, & futurorum sciendorum cupida est multitudo. Iam verò observatum est in ineundis præliis, multa ea in acie periculosè mutari, quæ domi non fuerant prævisa & considerata. Quod idem & in legatione multis evenit, si de quibusdam opportunè moniti, & ab iis, à quibus mittuntur, plenè instructi non fuerint: educendæ enim è portu in altum navis, sed non semper, quò velit, dirigendæ potis est gubernator. Quo magis multa legati commiseris prudentiæ, sed & nihilominus expedierit, eundem de nonnullis admoneri: *nemo enim suæ tantùm præfidat prudentiæ, ut nihil habere se opus arbitretur hortatore.* Quid, quod & legato & principi ipsi est utilius, discipulum quàm magistrum videri potiùs mandatorum? Cùm enim variè admodum accipi & interpretari soleat legatio, & vel bene in ea meritis vix ulla aliquando referatur gratia, an non præstiterit obsecundare nutui in ea domini, quàm suæ nescio cui hac in parte servire cupiditati? *qui enim inservit summis, imperat haud dubiè aliis: subit*

verò sæpius jugum, qui appetit dominatum. Itaque inolevit adeò etiam nova quædam apud nonnullos consuetudo, ut quæ vel antea legati judicio permittebatur haberi oratio, nunc habenda exhibeatur scripto; ut nec vel transversum quidem unguem à præscripta formula discedatur dicendi, & sive memoriæ mandetur, sive scripto recitetur. Non tam enim eloquentiæ laus legato quærenda, quàm ex sententia sui domini omnia sunt conficienda. Ac multum licèt in differendi usu atque copia, & in actionis ipsius positum sit dignitate, maluit tamen non nemo vel his aliquando caruisse, & principis sui, a quo mittebatur, commendationem retulisse. Quidam enim contenti sunt parvo, & vix acquiescunt alii vel immenso. Consultius tamen mittere est legatos his omnibus adjumentis instructos, & qui tum dicendi gravitate atque copia, tum excellant prudentia, & sine ulla vulnerum & signorum, quæ faciem turpent fœditate, regalem quandam præ se ferant majestatem. Nam ut ad eadem illa in legato turpia aut vitiosa repetenda recurramus, veteremque Persarum in eligendis regibus consuetudinem taceamus, an ut mutilatis naribus principem in Valachia fas non est eligere, Sic & in Turcia, atque etiam alibi, perridiculum non accidit, intueri legatum, cui vulnus in facie aliquod sit inflictum, & ipse aut distortus, aut membris appareat muti-

mutilatis? Unde purpuratus ille Turcicus ad legatum Hispaniensem: Deerantne tuo domino, inquit, quos sine vulnere in faciem inflicto ad nos misisset? Tum verò legatus: Non deerant, ait, sed hoc videlicet vulnus antè, non retrò, acceptum, nostræ de vobis ad Naupactum testis est victoriæ, in qua & tu debebas interfici, nisi aufugisses. Atque hæc quidem de adjumentis legati corporis dicta sufficiant: quæ si in magno sunt fueruntque semper pretio, quantò animi habebuntur gratiora, cùm semel sibi dicendi concessa non temerè abutetur potestate; nec subitò & ex tempore, sed meditatò potiùs verba faciet, & iis neminem carpet, inveheturque prorsus in neminem; sed si fortè dicendum esset liberius aliquid, vitia, non homines notabit: vulnera enim cicatrice obducuntur, verba in alicujus famam prolata frequenti memoria recrudescunt. Quo fiebat, ut & Pericles ille, in cujus ore Suada sessitasse dicta est, ad dicendum accessurus, ne vel verbulum aliquod ei excideret, quo populi aures læderentur, divinitùs precaretur. Lucerna enim & flore ignis opus habet, quod olere debet: cujus quidem lucernæ tantum abest ut Demosthenem puduerit, ut adeò illi, qui orationem ejus olere fortè affirmaverat, dixerit: Bene habet, inquit, tua quidem furtis, mea meis servit lucerna lucubrationibus. Quid enim, cùm in omnibus rebus

aliis, tùm verò diligenti studio, non opus sit in literis & longa cura cogitationeque mandatis principis exponendis, adeò ut scripta multò antè prius, & ab aliis item lecta ac examinata, quàm subita & extemporanea placuerit semper magis oratio. Plus quippe oculi, quàm videt oculus, & suo uno illo orbatus bonam in perpetuum noctem precatur monoculus. Postremò, quod genitoribus liberi, libri hoc nobis sunt nostri; ut oculis capiamur iis amandis, & vita donemur diutius elucubrandis: *Vina enim & scripta reddit tempus preciosa.* Quid? legato, cui in summa summorum virorum corona verba facienda fuerint, curæ non sit, ut non tam à pigmentis verborum, quàm à pondere & gravitate sententiarum laus sit eloquentiæ? si modò eloquentiam dixeris, quæ ad salutem hominum & delectationem data, non secus ac plumbea framea ex aurea vagina producta risum moveat circumstantium. Omnes enim eloquentia decet, sed legatos maximè condecorat: cùm ut hominis ornamentum oratio, sic rursus orationis veluti quoddam illustre theatrum sit legatio. Quæ nisi justum sibi sumpserit tempus ad meditandum, quomodo, quid, & quo quidque loco, & qua dicat ratione, poterit circumspicere, & tractanda re sagaciter discussa, venire tandem ad argumentis rationibusque muniendam? quomodo item inventam ordinatè distinctéque dispo-

po-

ponet? diſpoſitam omni ornatu & elegantia verborum veſtiet? veſtitam actione & pronunciatione cum dignitate proſequetur? Omnia quidem, ut mea fert opinio, minus elaborata hodie aures reſpuunt: & nec diligentiores quique immenſis penè hominum cupiditatibus ſatisfaciunt dicendo, tantum verò abeſt, ut inepta & ridicula quæque in legato laudentur. Quo ipſo loco non poſſum non recordari magni cujuſdam dicti, Principis Holſatiæ, Danorum Regis fratris, aratoris magis quàm oratoris ad Stephanum Regem ablegati: Qui ut diſtortus ipſe fuerat, ſic & legatum quaſi aliquod monſtrum geſtu & oratione ferè habebat. Hic cùm Stephanum Poloniæ regem miris in os decantatis laudibus extuliſſet, vel illud quoque addidit: Scire ex aſtris ſe, quod Ioannes, Magnus Moſcoviæ Dux, proximo futuro anno regiis armis eſſet ceſſurus, & vitam cum imperio amiſſurus, utpotè qui hoc & illud cœleſte ſignum in aſcendente haberet: & præterea obſcurum nemini eſſet, quo, quando, & quàm periculoſo morbo laboraret. Ita ille (ſi Deo placebat,) & legatum, & mathematicum, & medicum, & denique egit ſtultum coram Rege & Senatu, verbis ſine delectu faciundis. Vt enim furioſus educto gladio aërem verberandi, ſic logodædalus, cùm verba fundere cœperit, nec rationem incipiendi, nec modum ſcit deſinendi. Quod

Laconum respõsum. quàm non ferendum sit, vel ex illo Laconum responso, nescio quorum legatis dato, facilè est elicere. Priora, inquit, obliti sumus, media fuêre obscura, & non intelleximus tandem postrema. Avet animus seria potiùs quàm jocosa, gravia quàm levia audire semper; & brevis ac erudita, quàm longa & inepta satisfacit magis oratio. Anfractu & quasi quadam longa circuitione nec licet, nec decet uti verborum: nec verò aut precibus misceat minas, aut privatas publicis res legatus interponat: nec tam in penetralibus ædium minacibus verbis tonandum, quàm cùm ad bellum ventum fuerit, scienter exercitum cum suis ordinibus & vexillis explicandum esse potiùs recordetur. Vt plerumque fit, canes qui vehementiùs latrant, & hostes qui multum hostilitatis denunciant, habentur viliores. Quin ut eò etiam majorem authoritatem sortiatur legatio, raró, & cum dignitate dimittatur; potiusque senibus quàm juvenibus, indigenis quàm externis semper mandetur: qui enim juvenem, quàm legatum senem magis mihi laudaverit, hic spem quàm rem laudare videbitur potiùs voluisse; quanquam interim virtutis quàm ætatis cursum videre etiam quandoque sit celeriorem. Non enim barba & pallium, sed eximia natura, externum, solidum ac continuum studium in numerum referunt te sapientum. Veruntamen cùm, veteri illo prover-

proverbio, non nisi à feris veniat prudentia annis, consultissimum quidem fuerit, non nisi in magnis magnorum uti consilio, & præsertim senum, qui illud dicere non injuria posse videantur: Audite juvenes senem, quem juvenem senes audierunt: juvenes enim nondum senes, at hi fuerunt pueri & adolescentes. Iam verò nobiles quàm plebeios, indigenitales quàm externos, idoneos quàm ineptos rectiùs propterea miseris, ne principes, quibuscum futura tibi est res, ludificari se abs te quodammodo suspicentur. Ita enim pro se quisque magnus, magni vel secus fieri se ab altero putat, prout cùm aliis rebus, tum maximè legationibus observatur. Vnde Gallorum regum ingens quondam fertur fuisse odium, quòd primogenitos ecclesiæ, & omnium regum antiquissimos se professi, his, similibusque legationibus, quæ minorum gentium fuerant, nunc hos, nunc illos, & vel dicis causa tantum salutabant. Quis enim non ægerrimè tulerit, in tanto nobilium virorum regni unius numero, in tanta copia lectissimorum senatorum, ad se mitti nunc obscuros, nunc alienigenas, nunc ineptos? Equidem nullum majus inertiæ gentis fuerit argumentum, quàm hominum turbam in hunc legationum orbem produci nihili, & præstantiores quasi contemni, à quibus & mandata rectiùs exponuntur, & petita obtinentur, & gentes nationesque

quæ illustrantur. Dici enim vix potest, quæ & quanta, etiam dum tacet, loquatur ille, ad quem nescio quis regum, durum legationis imponendæ onus nactus, hæc verba principio epistolæ exaraverat: Si stas, iter ingredere; si ingressus es, curre; si curris, advola. Et Pœnorum ille callidissimus persuadenda à legationis dignitate Romanis pace, hæc aliquando facere verba minimè dubitavit: Vestrum, inquit, ut audio, patres, nonnulli etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem, Annibal peto pacem. Ex quo ipso intelligi potest, quanto consilio, ratione, delectu & discrimine principibus sit opus ad exteros legationibus dimittendis. Neque enim mihi probatur, probabiturque unquam Pauli IV. Pont. Max. & ejus similium consuetudo, qui cùm nescio quem amicorum veterum in Cardinalium collegium cooptare apud se secretò statuisset, accivit illum Roma, Neapoli primùm, deinde ut sacros susciperet ordines seriò imperavit: mox longius progressus, missurum se & in Galliam legatum, est pollicitus. At ille, cùm se imparem utrique, ut fit, rei respondisset, Apage cum hac excusatione, inquit: ecquis duobus nobis exceptis, nihili esse sciverit te, nisi ipse fateare? Sed multò quidem habent se ista secus: nam cùm ad rem ventum est, non ut vestium, aut equorum, ingenii

genii atque animi ornamenta mutuo semper accipias; & quid in diligentia ac studio vel inde à teneris annis positum sit, semperque fuerit, tecum ipse seriò licet recognoscas. Talis autem magna ex parte opinione hominum princeps pro se quisque fuit, qualis ejus nomine legatus publicum illud apud exteros munus rectè vel secus obivit. Nam ut ferè vel à minimis legatorum exordiar vitiis, quot, & quanti legati, verba facturi, in primo illo aditu allocutioneque regis obmutuerunt? Quæ res in postremo, ut dixi, errorum numerari licèt possit aut debeat, tamen non à nemine pro maximo sæpe est æstimata. Multi enim aut contemni per id se duxerunt, aut non omnium rectissimè sibi conscios, id divinitus pœnæ sortitos dixerunt; aut verò nescio quid aliud sinistri de iis suspicari minimè dubitarunt: errorem enim committit unus, variè hunc varii interpretantur infiniti. Ac vidi ego summum quendam, summisque de rebus missum virum, in collegium Cardinalium pòst cooptatum, cùm clarissimum regem ex longinqua profectione redeuntem alloqui debuisset, nulla de causa obmutuisse, & nec unum tantùm verbum proferre potuisse. Et vidi Cardinalem alterum, qui, ut semel & iterum interpellatus fuisset, animosè recolligentem se, & usque ad finem summa cum libertate vocis & orationis perorantem. Quod nescio unde evene-

 rit.

rit. Sed ut mihi quidem videtur, duplex ejus rei est remedium. Primum, ut id nobis etiam amicissimis evenire posse in animum nostrum inducamus, ac proinde contra ejus rei aut exitus periculum nos fortiter muniamus. Alterum, ne ad ipsa verba, eorumque contextum prorsus nos alligemus, aut si meminerimus, memoriæ sic ea mandemus, ut nequaquam hallucinemur. Sed omnium remediorum fuerit illud maximum, ne princeps in legatione utatur tyrone, sed homine jam maturo, & diu multumque exercitato: *ingloriè enim discit, qui faciundis erroribus vult videri didicisse.* Sæpè sæpius accidit, ut ejusmodi legati, muti repentè facti, aut domum, ut edormiant crapulam, remittantur, aut non omnium optimam, quod dixi, habere putentur conscientiam; unde postea multarum rerum in aula insimulentur, & aliquando captivi teneantur. Sigismundus I. Poloniæ Rex Turcicum legatum, tanta illa Regis & senatûs, qui verè à senibus est dictus, majestate in stuporem quendam adductum, & nec unum verbum proferentem, in hospitium remisit, & ut postridiè ad se reverteretur postulavit. Maximilianus Cæsar, à exposita legatione modicis temporis spatiis Stephanum Bathoreum, pôst Regem Poloniæ creatum, captivum fecit, quòd pacificationis loco, cujus tractandæ causa ille fortè à Principe Transylvaniæ venerat, res ad arma in-

Steph. Bathoreus, à Maxim. Cæsare, captivus factus.

terim

terim recidisset. Quod quidem sui æmuli Gaspari Bekeschii arte, magni illius & ingeniosi in Transylvania Satrapæ dicebat Bathoreus evenisse. Multi enim creantur legati, ligati ut videantur. Nam cùm nihil magis variam & multiplicem quàm legatio in se recipiat interpretationem, considerandum est, quo modo & animo illa nobis demandetur. Harum rerum artificio Catharina Medicæa, Regina Franciæ, præcipitem in aula dedit non neminem: ac inprimis memorabile illud est, quod Bellegardio Marschallo, & Pibracio, regii Sacratioris consilii consiliario, ea authore dicitur evenisse. Occupare illa filios omnes, totumque eorum discupiebat semper dominatum. Quare, si qui fortè reperiebantur, qui primum gratiæ apud eos locum assecuti dicerentur, hos è vestigio curabat aliò ablegari: & aut ductandorum exercituum, aut legationum munera iis mandabat. Erant autem in aliis Henrico Regi, cùm ex Polonia revertisset, Bellegardus & Pibracius charissimi, hic quidem pacis, belli ille artibus satis insignis: Quem cum Livronium oppugnatum misisset, subtraxit ei antè bello gerendo necessaria; ut hominem nihili, & bello administrando minus aptum, quod & effecit, vulgo ostendisset. Mox ad Pibracium conversa, & hunc in legatione ad Regni Poloniæ Ordines voluit mitti, sed ita, ut in finibus Germaniæ & Lotaringiæ excuteretur, irritaque

prorsus omnis illa fieret ipsius profectio, qua & Polonicas res, ex intricatis intricatissimas fecit, & tum publica, tum & privata nonnullorum negotia impedivit. Sic nimirum ludunt rebus, vel in rebus ii, qui plus aliquid aliis habent in aula potestatis. Quàm rectè, illi viderint; ego & principum artes, & inferiorum partes, cum ea quæ eruditionis & prudentiæ sit differentia, tacitus mecum ipse recognovi. *Pulchrum quidem est, sequi & assequi munera; sed tutissimum caruisse.* Ac quemadmodum pro argillæ gleba nihil prorsus datur, vas verò ex ea confectum suo pretio æstimatur; sic sine usu & tractatione rerum habet se doctrina, parum aut nihil valitura: asini enim libris cooperti, & docti inepti, quid à se distabunt? Quocirca si qui fortè legati minus intelligentes & experientes fuerint rerum, & aut in itinere tardaverint, aut alias quasque occupationes ineptas habuerint, ineptive ipsi sint, non omninò videantur tutò in legatione dimittendi: præstat enim domi retinere inertem, quàm ipsius indignitatis habere non neminem foris spectatorem. Parvo enim momento huc atque illuc impelluntur, sententiam facilè mutant, nec interrogati cum dignitate eam explicant, nec imperare sibi familiæque suæ sciunt, & debita facilè contrahunt, quæ denique multis mensibus sufficere potuissent, paucis abliguriunt. Iam

quas

quas nec ipsi quidem habent, in aliis virtutes desiderant: aliorum studia & mores carpunt: in alienam vitam inquirunt, & assimulatæ cujusdam probitatis specie, non tam esse boni, quàm videri volunt; & nec tamen vel aliquando sibi vel aliis hoc nomine satisfaciunt. Vt enim muli ex equo & asina conflati; sic nunc boni nunc perversi neutrum dicuntur. Qui si sapiunt, (sapere autem alieno, quàm suo damno potiùs debent,) munera publica & legationes per se ipsi refugiant: quid sibi desit videant; suos quàm alienos nævos potiùs introspiciant: & si cum perfectis semper vivere volunt, quærant sibi urbem sponte sua, Non vinclo, nec legibus æquam, ut ait Poëta. Nam aliud est in Lycæo Platonis, & aliud in fece Romuli vivere: & aliud in ore, aliud in pectore gerere bonitatem. Principes etiam ipsi, non tam ambientibus, quàm refugientibus munera publica & legationes mandent: quatenus progredi vel regredi in iis debeant, præscribant: simias, quò altius ascenderint, pudenda magis ostentare sua moneant: nihil gratiæ & favori, omnia virtuti & industriæ tribuant: dandis legato mandatis, quoad eius fieri paucioribus potest, se concredant, & humani ingenii morem esse, perpetuò licitari, & iniqua interdum petere, ut æqua obtineantur, recordentur. Multas denique tendi insidias multis, sed inprimis publica negotia tractantibus at-

que legatis. Vnde videmus quosdam, & maximè barbaros principes, cùm externi legati in eorum sententiam non statim descendere voluissent, mandatis eorum scriptis ostensis, facere imperata coëgisse, & vel hoc ipso nomine, legatorum quas vocant instructionibus disquirendis, quàm curiosissimi fuerint, non obscurè ostendisse. Fecit id hujus nominis alter, & tertius Turcarum dominus Bajazetes Venetis: fecit & olim Galeatius Dux Mediolani Florentinis: fecerunt alii aliis: quàm rectè, non disputo, sed tantùm ipsum factum profero in apertum. Valdè quippè sunt solliciti principes sciendis penitius omnibus mandatis legatorum. Itaque & Maximilianus Cæsar, admirabili princeps ingenio, secretam instructionem, quam Regni Poloniæ proceres ad Stephanum Regem legatis in Transylvaniam dederant suis, magno studio quæsitam habuit, & nobis Ratisbonæ ostendit. Quò magis legationem expedit esse secretissimam, & habere mandata, quæ contineant obscuritatis modicum, & quàm minimum amphibologiarum: ut enim mysticè vel amphibologicè loqui videatur nescio cujus sapientiæ; tamen regius quidam candor præstat artificiis omnibus simulandi & dissimulandi, ut ille nescio quis, qui nesciret simulare, nescire eum & regnare, dixerit Imperator. Sed multùm simulare & dissimulare differunt, ac primum quidem malitiæ,

litiæ, posterius fuerit necessitatis. Vnum verò maximè indubitatum illud est, eum, qui ambularet simpliciter, ambulare & confidenter. Est quidem aliquid, esse tectum, sed multò plus rectum suis in consiliis, cùm malè sibi conscii oculos dejiciant, & latera vulneribus aperiant, recta verò conscientia muri instar habeatur. Interest autem & legati, & principis, ea, quæ semel data fuerint, mandata, habere perpetuò rata, ne si fortè immutata fuerint, in ea pericula legatus incurrat, quæ ante monuimus, sive id legati culpa, sive principis acciderit voluntate. Ac nec quidem est regium, una manu ostentare panem, & altera ingerere velle scorpionem. Et plerumque usu venit, ut qui verborum aucupiis, aut literarum tendiculis alios circumveniunt, posteaquam ad apertum venitur bellum, cadant eorundem armis, & publico risu exagitentur. Non vult Deus, eos, qui impiè & fallaciter agunt, diu successibus augeri. Nec verò & ego soleo insultare cujusquam vulneribus, nec præceps esse æstimandis aliarum gentium nationumque moribus, quos scio variè varios interpretari, & nihil non esse plenum in utramque partem exemplorum; sed ut tamen ad supremum illud offensum numen revocentur omnia, quis non legit, quæ fuerit Græcorum aut Græca cum Latinis fides, & quæ nunc sit etiam Moscovitarum. De quibus nihilominus sæpius triumphavit non

nemo

nemo barbarorum. Et non temerè id quidem. Nam *ubi plurimum calliditatis, ibi minimum sæpe est felicitatis*. Quo loco multa equidē possem afferre, quæ de hujus gentis versutia etiam citra ullam suspicionem falsi producerentur. Sed unum illud sufficiat, quando Ioannis Magni Moscoviæ Ducis legati, in tractatione ad Zapolscium cum rege Stephano pacis, legatos regios quibusdam arcibus, quas in Livonia semel concesserant, ante ipsum edendum jusjurandum, supposito falso diplomate, fraudare visi sunt voluisse: sunt enim multa fraudationum genera memorabilia, at in publica tractatione inter reges pacis, memorabilissima. Verùm alteri loco & tempori hæc reservetur potiùs narratio. Vnum autem illud hæreat memoria, quæ justitiæ contraria, ea nec futura quidem felicia: & Anglos tractanda pace imprudentiores, Gallis armis superiores se profiteri, quod olim idem de Crucigeris & majoribus nostris vulgò sermonibus usurpabatur. Sed non semper, ut apparet, facilia nodosa, & clara turbida expedit reddidisse: recto enim proposito fine, ut consilium defuerit, numen pro se cuique bono aderit divinitatis. Quare (quod Apollo Pythius monuit, quodque ego paulò antè observandum censui,) legatus cognoscat semet ipsum; & tam in petenda, quàm assumenda legatione, quid juris justitiæve fuerit, & quid tam per se præstare possit, quàm aliunde subsidii

subsidii expectare debeat, ipse secum maturè recognoscat. Vastæ cogitationes sunt nostræ, & quò minus aliquis sapit, eò opinione sapientiæ ditare se magis consuevit. Cui morbo occurrendum sanè est tum scienter, tum verò etiam studiosè: multos enim vinum in prælia inermes, & ineptos ambitio in legationes protrusit insipientes. At verò cùm ad tractandas venitur res, tuis te pedibus oportet, sustineas; & quod antè non didicisti fortè privatus, ægrè discas factus legatùs Vt enim consilium tibi aliqui dederint, hîc rursus consultore opus, quod & quale consilium fuerit amplectendum: non minus enim errat, qui nullo consilio facit aliquid malè, quàm qui perverso utitur consultore. Quem ad cognoscendum non semihoræ spatio, sed multo, quòd cum eo comedas, indigebis sale, & in consessu regum non una aut altera occasione & causa verbis (ut fit) faciundis: auget enim animum publicum & frequens theatrum, & ardor ille dicendi, teste ipso M. Tullio, angusto debilitatur loco. Quî denique non moveat risum, interruptis vocibus, & veluti cum quadam titubatione & hæsitantia habita oratio? Qualem cùm nescio quis in purpuratorum apud Turcas consessu fortè habuisset, & interpretari alter verba ipsius debuisset, cursim omnia ea, quæ legatus dixerat, exposuit, & quodammodo legato ipso orationem visus est habuisse pulchriorem.
Tum

Tum verò purpuratorum quendam ridere, & Deos hominesque cœpisse testari, nunquam se, qui magis legato abuteretur, vidisse tempore, & qui adeò servo uteretur ipso se prudentiore. Et nisi me animus fallit, haud ita injuria: Semper enim non, quàm multa, sed quàm multum quis dixerit, spectatur: nec quàm nobili, sed quàm idoneo legatio demandetur. Humilitas enim generis, neque offensio adimit scientiam popularis. Sed nimirum, cùm ad præclarum ipsum genus majorumque imagines accesserit eruditio, næ haud legatus & legatio facilè exolescit. Habet enim non obscurum obscuritas generis despicatum, cùm, ut antè dixi, & principes ipsi despicatui se haberi putant, cùm aut obscuri, aut externi, aut patre notato, vel notati ipsi ad eos legati dimittuntur. Etenim, si divinus ille & morum magister Plato, notato patre filios ad Rempub. non censuit admittendos, quî publicas legationes obierint ii, qui alicujus criminis notati ipsi sunt vel fuerunt, nisi fortè flexu ætatis commissum aliquid sit, quod firmata stirpe virtutis, egregiè compensatum videatur? Tum quidem tantum abesset, ut recordari ea debeant, ut quasi quædam etiam testimonia virtutis sint refulgentis. Raro enim sunt visi, qui uberes ingenii edituri fruges, vitiorum prius semina non aliqua jecerint, quod nihil minus quàm vituperio eis vertebatur. Melior quippè

culpata

culpata est virtus, quàm torpore quodam languens continuo innocentia. Quid quod nec æquum aliàs fuerit, exprobrare eâ vitia mortali, quæ credibile est in oblivionem venisse Deo ipsi immortali. Laurus vel media hyeme viret, & virtutis ingeniique fama, etiamsi vel aliquos habueris nævos, nunquam arescit. Sed age progrediamur, & certissimum quidem esto, nec obscuros, neque sceleribus infames, neque ab infamibus legatos venire oportere. Verùm adhuc illud certius, dimittendis illis parem, imò majorem semper habendam esse rationem virtutis, quàm generis, probitatis quam nobilitatis; & si adeò proficiscantur plures, animi & consilii spectetur potissimùm in iis magnitudo. Parvo namque est usui, nautæ nasci & appellari filios, si demùm illos omnes videas remiges, non naucleros: & sicuti surdo soni, cœco perspicilli, aratrum naviganti, clavus nauticus ambulanti; sic nobilitas, quæ virtute caret, Thrasoni fuerit non nemini. Non etenim aliena dicas tua, quorum ipse ostendere non possis te authorem. Hinc postea & inter collegas legationis unius, morum & animorum nascitur dissimilitudo; cùm hi majorum imaginibus tument, & alios præ se aspernantur, & rursus illi contemnunt contemnentem. Quæ omnia apud exteros præsertim & citò notantur, & subitò vulgantur, & rebus eorum, principis dignitatique adversantur: quidquid enim

legati

legati intriverint, id excedendum est eos mittenti. Dixit mihi aliquando Cromerus, vir non quidem genere, sed doctrina & eruditione clarissimus, cùm apud Ferdinandum, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque Regem, cum perillustri quodam procere Sigismundi Augusti Poloniæ regis fuisset legatus, sic ante regem in scamno, quod capiebat duos, collegam sedisse, ut ille excludi non obscurè videretur. Tum Ferdinandum dixisse: Sedeat, inquit, uterque, cùm & in legatione uterque contineatur: quod non evenisset, si inter se legati ipsi differentiam non quærerent, & quadam veluti rivalitate animo opinioneque non variarent: *persuasio enim de seipso magna alterius contemnendi fax est certa.* Quo etiam restringendum semper quàm augendum dicerem numerum legatorum, & vix ipsum ternarium excedendum, ipsis mittendis. Fit enim, ut cùm plures pluribus stipati comitibus veniunt, bellandi causa venisse; pauci, tractandorum negotiorum ergò legationis comitatum dicantur excessisse: non tam enim numerus aut comitatus, quàm ipsum pondus & concordia mutua legatorum spectatur: quæ si omninò desideretur, (desideratur autem in pluribus sæpissimè,) statim omnes laborant infamia levitatis. Factiones enim inter se excitant & alunt, & variis ac multiplicibus nunc harum nunc illarum rerum narrationibus principi causam & occa-

Mart. Cromerus.

occasionem præbent de eorum fide, aut saltem prudentia dubitandi. Non temerè igitur veteres aut inter discessuros legatos concordiam faciebant, aut verò ultrò ipsi per se legati peregrè profecturi inimicitias deponebant. Pulchrum est Græcorum illud: Relinquamus his in montibus, inquit, inimicitias inter nos veteres; resumemus, si placuerit, cùm à legatione revertemur. Quî enim amicitia cum aliis alicui sit fida, si nulla cum collega fuerit? aut quis bonum testimonium ei dederit, cui itineris comes negaverit? Et tamen hoc vitio cùm inter alios, tum inter Christianorum principum legatos, maximè laboratur, quibus Christus Opt. Max. sui amoris symbolum concordiam dedit, & non adumbrata, sed expressa vestigia reliquit lenitatis. Quod non aliunde provenit, quàm ab animi quodam tumore & impotentia, & quòd nonnulli partim debitorum, quæ solvenda essent, nisi legatio obstaret, gratia, partim compendii alicujus, & ut semper, quod prætendant, habeant, causa, ambiunt temerè legationes; & eorum sibi comparant ad eam rem patrocinia, à quibus, principum dignitatis ergò, deberent potiùs removeri. Quo magis ipsi principes viderint, quibus faciem suam ad exteros permiserint deportandam: & si non præstiterit, conciliare inter se & domi retinere profecturos, quàm demùm audire digladiari à se missos fatuos vel ambitiosos,

bitiosos. Sumptibus quidem legati providendi sunt necessariis, ne in medio veluti quodam rerum cursu gradum sistant, & cum vel à portu parum absuerint, contrariis ventis subitò trahantur. Difficile dictu est, quantus hostis paupertas sit fueritque semper virtutis, & quàm, Reipub. insigni detrimento, navis & industriis viris ejus facultates denegantur. Eorum autem loco augentur ii, qui poterant, & haud scio an debebant, facultatibus caruisse: tantum enim abest, ut iis sint usui, aut decori alicui, ut quasi quædam etiam instrumenta libidinum videantur, quibus apud exteros abutentes, & non injuria dicti ventosi, passim proculdubio irridentur. Quod ne fiat, senes & maturos, ut antè etiam monui, in legationibus mittere præstiterit, in quibus multa semper dies lenivit, ætas mitigavit; & quos experiundo contempsisse, satietate abjecisse quædam etiam præter opinionem aliquando deprehendas; sed ita, ut & hi nullum usquam relinquant vestigium avaritiæ & cupiditatis suæ: *senectus enim affert secum morositatem, & habendi sitim.* Quæ cùm omnibus fuerit turpis, tum legato turpissima: munera enim legati accipere possunt, sed qui quæstus gratia legationes obeunt, his principes nihil debebunt. Sunt enim quædam gratuitæ, & quæstus gratia aliæ susceptæ legationes. Hæ nullum, illæ habent duplex beneficium: unum à lege, alterum ab homine.

Vnum

Vnum ergo illud tam fœdum avaritiæ vitium, quàm longissimè absit à legato ejusque animo, qui major ferè habetur imperatore ipso. Etenim hic multa officia, quorum ipse imperitus est, opera aliorum administrat vicaria: legatum verò propria non aliena, vera non fucata ornamenta commendant. Vnde etiam bellatorum nescio quis ille, unius sui legati ore, quàm maxima quaque militum cohorte, arces cepisse se plures gloriabatur. Quo etiam legati ipsius functio & amatur vehementius, & colitur numinis instar impensius, & illustris ac magnifica semper habetur. Quis enim eo sit charior, qui arma verbis dirimit, gentes & nationes in hostes consociat, adversarios voce opprimit, socios perpetuo otio atque quiete lætari facit, cum omnium non dicam laude, sed planè etiam admiratione? quis illo sanctior, qui Christi & Apostolorum, & ipsius denique annunciantis refert personam Gabrielis? & non tam armis aut satellitibus septus, quàm jure gentium vallatus, quò, & quando, & quomodo vult semper pervadit? quis denique legato habeatur illustrior, qui tot honorificentissimis legationibus cum dignitate obitis, tot regiis visis, tot colloquiis & responsionibus regum auditis, quàm ullis lauri foliis citò arescentibus rectius gloriatur? Quo nomine cum multi nostra ætate alii, tum nimirum Cardinalis Moronus, nescio quid plusculum laudis

Pyrrhus, Cinea.

laudis sibi tribui, modestè licèt, cupiebat: nam Pardi instar, qui, ut tertio assultu feram capere, sic & ille negotia conficere consuevisse, vulgò dicebatur; cùm revera prudenti legato nihil sit majus, nec magis necessarium, neque adeò commendabile hominum memoriæ sempiternæ. Ac memoria inprimis fuerit dignissimum, quod de Ludovico nescio quo Galliarum rege vulgò circumfertur, qui cùm per legatum suum hominem industrium Caroli Burgundiæ Ducis animum à se nonnihil abalienatum, & spe cujusdam ab eo defectionis subjectorum belli cupidum fortè cognovisset, certa quadam uti arte, & per eundem illum legatum de omnibus pacatè cum eo voluit transegisse: *præstat enim legatione, quàm armis omnia terminari* Hoc facto ad suos conversus, nunc hos capitali affecit supplicio, nunc illos in exilium egit, nunc alios gravi ære multavit; Quod non fecisset, si & prudentem legatum, & minimè præcipitem ad vindictam animum non habuisset: non enim nisi lento & bene firmato pede rebellionem aggrediare castigandam; & tantum quidem in mittendis ad exteros nunciis positum est discriminis, ut pax & bellum, felicitas & infelicitas, contemptus & majestas principis inde haud dubiè proficisci videatur. Sed meminerimus, non omnes peræquè esse, qui videri cupiunt, & alios opinione vulgi, alios incorruptè judicantium judicio cen-

censeri sapientes, aliam denique verbosam, aliam rerum omnium dominam esse sapientiam. Quam ut hic perfectè non discamus, proximè quidem ad ejus perfectionem accedere conniti debemus, & opinionem semel de nobis excitatam virtute & constantia tueamur; *neque perperam & malitiosè facta latere diu posse*, aut ex latebra impunitatem sperare nos debere arbitremur. Pulchrè enim alicubi Sophocles:

Nihil occulto quando cuncta tuens,
Et cuncta audiens, omnia revelabit dies.

Quo etiam magis turpia quæque & ignominiosa mandata studiosissimè sunt vitanda, & tam occulta omnia, quàm quæ in aliorum vergunt exitium, nobis non invitis nec invidentibus, cuivis potiùs quàm nobis mandentur. Habent enim nescio quam speciem proditionis, quæcunque aguntur simulatè: non enim illi solùm, qui scelere & maleficio pascuntur, sed qui adeò etiam in aliorum necem consilium præstant, habentur interfectores. Vnde ut varia legationum & mandatorum sunt genera, sic maximè desideranda sunt magis pacata & tranquilla, ne aut malitiosi, aut ingrati, aut etiam leves & temerarii habeamur. Quis enim legatorum futurus est gratus, quem mandata fecerint odiosum? & quem paulò curiosius in Repub. versantem, non reddiderint tandem suspectum, præsertim tot sectis tam inter se dissectis, & non tantùm animis, verùm etiam castris

F regi-

regibus inter se diffidentibus, quorum aliqui ideo se, legatosque suos, majorem authoritatem habere putant, quòd superiores non agnoscant, quasi & Deo Opt. Max. non liceat rebellasse, quod tantum abest, ut probari debeat, ut quò graviori animadversione dignius sit, tempori & occasioni eò magis reservetur. Non enim impunitas authoramentum errorum, nec conspiratio bonis nocuerit improborum. Sed relinquamus querelas, ac unum illud sequamur, & utinam quidem assequamur omnes, ut sicuti capitis unius membra Christi, ita & doctrinæ consensione unum in ipso simus, & non tam otiosis syllogismis dogmata, quàm fortibus factis imperium proferendum judicemus Legatis, qui & majorum nostrorum suus honos constaret, & eorum authoritate, quibus olim paruerunt omnes, sartâ tectâque conservatâ, haud scio si quis ita fidenter alienis etiam inhiaret; sed *unius contemptus generat alterius despicatum*. Quanquam & Maximiliani Primi Cæsaris tempore jam illud etiam moris fuerat, exteros legatos longius ab aula tenuisse, & non facile aditum ad eos patuisse. Quod & Comineus in Hispaniis sub Ferdinando Catholico rege accidisse sibi testificatur. *Vix enim alia aliqua re explorator ab oratore, quàm una illa differt impunitate*. Qui tantò etiam in suspicionem citius incurrit, quantò non modò regionis, sed illius etiam, apud quos versabitur,

expers.

expers erit religionis: inter enim alia multa vincula, hominum animi, à qua & dicitur, maximè religione religantur. Neque tamen in omnes alios legatos fraudis & injuriæ subitò cadat suspicio, neque vita & dogmatibus legati inquirendis opus est properato. Multi non tam judicio, quàm errore & contagione quadam seculi, eò, ut diversum à nobis sentiant, delati sunt: & multi non tam voluntate, quàm necessitate quadam superiorum jussu in curiositatis suspicionem tandem venerunt, cùm ea disquirerent, quæ non videbantur debuisse. Sed & naturâ ingenita nobis *cupiditas est quædam, novi semper aliquid sciendi & sciscitandi*: & ut hominis finis non sit scientia, sine tamen ea in cognitionem rei creatæ & creatoris venire factu est incredibile, quæ nimirum summa nec scio, an una appellatur sapientia, quam non humanitus datam, sed cælitus fusam antiqui putaverunt. Sed sicuti quidem in omnibus rebus, quæ laudari debent, ars occultanda, sic & hæc curiositas comitate, affabilitate, & omnis generis erga indigenitales officio, necessariò est tegenda & regenda. Malum enim est, in suspicionem venire curiosi, sed multo adhuc deterius, sortiri nomen pariter & morosi: ægrè enim ubique tumidos, sed domi nimirum nostræ omnium ægerrimè toleramus. Quamobrem sit illius dicti legatus vel inprimis memor, *tales nos debere esse in inferiores, quales velle-*

mus erga nos invenire superiores. Arrogan-ter compellandi, scommata in aliquem ja-ciendi, temerè res aliorum æstimandi, & nunc hujus nunc illius ferendi de homini-bus judicii, absit à legato quàm longissimè consuetudo. Accidit nescio in qua aula, quòd legatorum dictum est non nemini: Dominus, inquit, legatus perpetuò malè; ego contrà loquor de illo benè; viderit, ne nostrum alteruter mentiatur. Sed & *sibi quàm alteri magis nocet, qui absenti obtre-ctatur*: vulgo enim ostentat animi sui im-potentiam, & minorem se illo, cui fortè invidet, testificatur. Denique observatum est, quod quando aliquis creatum pericu-lum alteri voluit, quod bonus voluerit ne-mo, creditum est magis rem quasi aliam agenti, quàm ex instituto accusanti. Me-morabile est Prosperi illius Columnæ ex-emplum, qui cum Ferdinando Consalvo, susceptis parvis quibusdam offensionibus, in Hispanias navigasset, cumque ab Isabel-la Ferdinandi Catholici Hispaniarum Re-gis conjuge, de eo, deque rebus ab eo ge-stis interrogaretur, quo loco Neapoli es-set, & quomodo in vulgus ejus actiones probarentur; Perbellè, ac unum illud de-esse illi diadema, acutè respondit. Quæ de-mum responsio causa fuit, quæ ab hinc centum annis ex Hispaniis Neapolim pro-fectionis extitit Ferdinandi, qua Consalvi administratio & authoritas fuit paulò di-minuta: semper enim suspecta regnanti-bus

bus procerum est virtus & amplitudo: quanquam viderint, ne dum suspicionibus indulgent, erga bene meritos ingrati habeantur: sed ad curriculum revertamur. Legatis quidem illud vel potissimùm curæ sit, ut quæ nocere gravius eis possint, omni ratione fugiant; amplectantur, quibus juvantur: Vnde & rarò quod dixi convivari, non indulgere aleæ, non commessationibus, non aliis id genus voluptatibus multum dare temporis, legati expediet dignitati. Nec verò & primos illos in mensa petere accubitus, non interrumpere aliorum in sermone exorsus, in suo non habere morsus; sed & considerate, & paulatim, & pauca loqui, quod sæpè dictum est, summæ prudentiæ judicatur. Etenim vel ex minimis de summis aliquando capitur conjectura. Itaque ut vel ad minutiora etiam descendamus, rarò, nisi prorsus habuerit neminem domi suæ, loco se posuerit legatus primo, ac nec secundo; sed præferat sibi pares, præmittat superiores, ac nec eò usque inferiores demittat, ut cùm mensæ suæ hospites adhibuerit, conturbatos quàm recreatos potius dimisisse, & sibi, non aliis honorem & authoritatem iis quæsisse videatur. Vt enim musici levi cordarum tactu, quàm gravi aliquo pulsu, demulcent magis aures; sic civili ratione, cùm comiter aliquem excipimus, placidéque & suaviter tractamus, quàm contractione aliqua frontis, & supercilio gravi,

omnium nobis conciliamus magis voluntates. Et habet quidem unusquisque in se legatus naturas, ut ita dicam, duas: Propriam sive naturalem unam; Principis, quæ illi est imposita, alteram. Quapropter, sicuti quidem in Comœdiis aut Tragœdiis, qui aut Cæsarem aut Pompejum repræsentant, eorum videri quàm simillimi cupiunt; finita autem scena, relictaque chlamide ad gestus & vestitus proprios revertuntur: sic quidem & legatos in publicis theatris aut congressibus sui principis, cujus personam referunt, par fuerit meminisse; sed reverti haud ita gravatim ad suam in convictu familiari. Est enim publicum cum privato decoro ita miscendum, ut & supra conditionem nostram nunquam nos efferamus, nec nimium demittentes, gravitatis nostræ & principis, à quo missi sumus, dignitatis penitus obliviscamur. Alterum quidem agrestium, alterum superborum nomen & invidiam facilè nobis conflabit: & si aliquibus admirationi, pluribus erimus contemptui: novi quippè mores & numismata respuuntur, & differt unius gentis ab altera natura, & nunc hujus nunc illius aulæ consuetudo. Nam ut illud etiam denuo ipsum, quod paulò antè attigeram, breviter succinctéque commemorem, & quisquam dubitabit, quod quibusdam in regnis capiundi pro se cuique loci facultas in mensa datur, alibi verò non nisi arbitratu hospitis

ſpitis hoſpes collocatur. Quid igitur? An & hoc ei, qui in aulam legatus venit, ſcitu non fuerit neceſſarium, tum ut alios apud ſe diſcubituros collocare ſciat, aut eorum voluntati & judicio id permittat, tum verò ut & ipſe locum ſibi eligat, perſonæ & dignitati ſuæ congruentem. Minuta hæc ſunt fateor, ſed turpius eſt ignoraſſe illa, quàm diſcere noluiſſe. Vnum autem, quod toties dixi, quodque ipſe gentium Doctor alicubi monet, Piè, caſtè, ſobrieque vivere in legationibus ſciamus, & alios ad exhauriendа pocula non tantopere urgeamus. Enimverò neſcias, cùm aliquando potum volueris effutire vim apud te omnem quam habet ſecretorum, quod tu ipſe in eandem illam, quam alteri ſtruxeris foveam, facilè etiam illaberis. Vna illa *ebrietas omnis licentiæ eſt mater, & infida cuſtos taciturnitatis.* Quid quod & refugiunt talem legatum homines; ut contrà ſobrietatis & taciturnitatis fama invitantur ad eum quàmplurimi, & legatus quod non ſcit hodie ab uno, reſciſcit poſtridiè ab altero, atque item tertio, humanitate & taciturnitate noſtra victis, & quodammodo in legati ſententiam & familiaritatem ſenſim perductis: compedes enim injicit, qui credenti ſe alicui fidem ſervaverit: & qui major exiſtens, facit ſibi inferiorem, vel nonnunquam cum gravitate parem. Omnes enim ferè homines contrarium licèt præ ſe ferant, æſtimant ſe magno, & æſtimari cupiunt,

piunt, præſertim ab æſtimato. Ac ut nihil magis ſit lubricum & incertum quàm verborum pompa & externa iſta denunciatio voluntatis, tamen mirum eſt, quot & quanti his rebus etiam capiantur. Non ſit tamen in taciturnitatis quærenda laude legatus, ligatus celare aliorum crimina, in principem aut ſuum, aut eum apud quem verſabitur, commiſſa, ſi præcipuè ea de re fuerit requiſitus. Quo minus & facilis aliis, præſertim quos aut non diu, aut minus probè novit, regibus commendandis. Nam præter quòd ſuos ſibi ab exteris commendari ægrè ferunt reges, non multum in receſſu gloriæ & emolumenti ſubita aliqua habet commendatio, cùm quos commendaverimus, commendationi non reſpondentibus, cum quodam veluti rubore quotidie in aula intuemur, & aliquando imponimus nobis neceſſitatem pro ſceleribus, ſi quæ fortè eorum inciderint, reſpondendi. Et quoniam memoria plerumque eſt labilis, conſignet quotidiè legatus literis, quæ vel ipſe loquitur, vel audit ab aliis, notatu præſertim digniora. *Fuerunt uſui multa, quæ delituerunt in ſcrinio diu ſecreta.* Sed hac in parte & princeps & legatus ipſius ſint cautiſſimi, nec illa temerè velint literis committere, quæ aliquando poſſent vulgari. Etenim ſicuti nulla alia magis re, quàm epiſtolis communicantur plurima, ita volunt & debent eſſe ſecretiſſimæ illæ, ne in manus aliorum devolutæ damnum,

damnum, aut ignominiam pariant nobis sempiternam: omnia enim secreta anxiè quæruntur, & occulta inveniuntur. Severus olim Imperator Clodio Albinio occiso, statim inquiri ipsius literas jussit, & quæ ad alios scripserat, & quæ responsa habuerat; tandem invenit, quo erat factum, ut multi hostes patriæ à senatu pronunciarentur. Cui rei ut occurrere quidam potuissent, tabellis ligneis, scriptura desuper cera obducta, hostium consilia suis prodiderunt: & aliqui loris circa baculum complicatis, quæ sciebant secreta, perscripserunt; alii è castris & munitionibus bullas plumbeas, certis notis consignatas è funda miserunt, & denique etiam nonnulli literas sagittis interpositas, sunt ejaculati. Vt epistolas, quæ lacte, aut succo cæpis scribi possunt, non commemorem, quarum characteres ad ignem admoti exeunt, & in apertum veluti ex nihilo proferuntur; & ut literarum notas, quas vulgò vocant ignotas, taceam, quipus secretissima quæque inter se communicantur. Quæ omnia ad legati & legationis munus pertinent, scienter & cum dignitate obeundum: quo haud scio si quid fuerit illustrius, utpotè cùm una illa rectè obita legatione, legatus passim & ubique laudetur, suorum & hostium in ore versetur, præsens & absens, vivens & moriens commendetur; maximè si non tantùm ea, quæ propriè ad legationem, & tam negata

Succo cæpis scribere.

quàm obtenta postulata spectant, sed etiam quæ ad regem regnumque, sive provinciam, in qua fuerat, pertinent, fideliter explicabit: ut enim singulis ferè decenniis ea mutentur, & perpetuò floreat nihil, tamen his cognoscendis homines imprimis delectantur, & haud scio an juvantur. Cujus rei ut majorem lucem legatus exponendæ & obeundæ legationis habeat, brevem quandam ceu formam & lineamenta quasi extrema annotabo. Primum quidem legatus describet situm illius, in quo fuerat, regni aut provinciæ, & tam antiquas, quàm recentiores appellationes regionum, urbium, & oppidorum apponet. Deinde habebit semper ad manum aliorum quoque tam veteres quàm posteriores descriptiones, quibus collatis, de unaquaque re facilius eliciat veritatem, nimirùm quæ sit illius regni sive provinciæ elevatio poli, quæ orientis & obeuntis solis, quæ Austri & Aquilonis partes, quæ longitudo atque latitudo, quæ circumferentia, quot porrò minores alias provincias seu municipia, quot Archiepiscopatus & Episcopatus, quot navigabilia flumina, quot excelsos & superatu difficiles montes, quot munitiones, & quæ adhuc extrui possent, sortiatur. Demùm veniet ad ejusdem regni sive provinciæ vicinitates, confinia, confiniorumque rationes, aëris temperiem, bonitatem soli, ubertatem agrorum, rivulos auri, argenti, & aliorum metallorum, commoditatem
vena-

venationum, genera & multitudinem ferarum, magnitudinem sylvarum, & similia. Ab his transibit ad mores & ingenia hominum, ad rationem & cultum vivendi indigenitalium, ad habitum & habitudinem corporis, ad speciem & quandam veluti proprietatem coloris, & oris denique ipsius ac faciei dignitatem. Nec verò non describet publicas etiam leges atque sanctiones, pietatem vel superstitionem nationis, peculiares consuetudines omnium, modum & qualitates cæremoniarum, terra marique militandi usum, militem domesticum, & quo aliquando utitur etiam externum, ducum munia, prærogativas, præmia; inferioris verò militiæ ordinem, stipendia; procerum vires & magnificentiam; nobilitatis vigorem; frequentiam & facultatem plebis; mores & consuetudines gentis, & omnium tam politicorum quàm ecclesiasticorum statum & conditiones. Postremò verò accedet ad ipsum, ad quem mittetur, principem, suis (quod ajunt) coloribus depingendum, ordieturque primùm à genere, majorumque incunabulis ipsius, demùm progressu temporum quibus artibus & occasionibus creverint, quas domi forisque res gesserint, quale nomen in morte, quale & quantum imperium reliquerint, suis demõstrabit. Ac nimirùm ad ipsius principis, apud quem legatione fungebatur, mores, ingenium, & tam ocii, quàm negotii illius rationes veniet

niet explicandas, & quàm odio habeatur vel ametur à suis, suspiciatur vel contemnatur ab exteris, quantum vectigalium ei sit, quot rursus & quantos sumptus faciat, quantum militiæ foris, quantum domi stipatorum alat, qualem & quantam aulam, quales consiliarios, quales domesticos, quot & quales corporis custodes, quibus cum amicitiæ aliquid & hostilitatis habeat, & quæ denique tam subsidia pacis, quàm præsidia belli, pro re & occasione nancisceretur. His enim sciendis & rescíscendis legati ditescit animus, & lucem haurit principum non nemo, & tota denique ejuscemodi legatis condecoratur regio atque religio: sunt enim idonei legati, tanquam quidam flores populi, quibus constat honos omnium, & pax & tranquillitas, in qua cultus Dei & religio viget regionum. Sua denique scire & ignorare aliena, dimidium est scientiæ in Repub. gubernanda, & unà sunt illa, ad documentum posteritatis obitæ legationis, scripta relicta, & in archivum regium, tanquam in quoddam sacrarium, importata, quæ seriem & vicissitudinem testantur temporum, memoriam conservant præteritorum, & industriam ac opera locupletant scriptorum. Sciendum tamen est, non peræque omnibus scriptis & scriptoribus habendam esse fidem: nam multa dicuntur partim odio, partim inscientia, partim vanitate. Sed unum illud omnium maximã dat authoritatem eorum

moni-

monimentis, cùm non modò interfuerint, sed & præfuerint ipsi aliquando rebus, & placuerint si non cunctis, saltem sanioribus, & perfuncti postremò legatione, ejus rei testimonium ad suos retulerint luculentum: nefas enim est, sine ejus ad quem veneris, & sine illius, à quo missus fueris, scitu & voluntate ab aula discessisse; ac multò minus decuerit, non deposita legatione, apud exteros remansisse. Quod olim Philippum Callimachum Italum, à Florentinis ad Cazimirum III; & Andream Dudicium Sbardellatum Hungarum, à Maximiliano Cæsare ad Sigismundum Augustum; & Andream Lorichium Germanum, à Ioanne III. Sueciæ Rege ad Stephanum Poloniæ Reges constat fecisse, & in Polonia remansisse. Quod ipsum & Polonici cæli non omnium inclementissimi, & nationis haud ita incivilis est argumentum. Vix enim aliquis paulò cultior mores suorum, nedum aliorum barbaros, & regionem patitur horridiorem. Quid quod multorum & saniorum est opinio, præstare ejus principis, apud quem fungere legatione, retulisse literas parum moratas, quàm sine obitæ legationis aliqua saltem nota ad suos revertisse. Illud enim principis, qui scribit, animi tribuitur impotentiæ, posterius aut legati metui, aut verò levitati. Cùm tamen ejusmodi legatis, qui pro patria aliquid experti difficultatis sint, aut mortem obierint, statuas & trophæa erecta antiquitus me-

Andr. Dudicius levitatis arguitur.

morentur. Curet tamen, quantum in ipso fuerit, ut ne tales quidem, quales odio & contemptui essent, legatus domum referat literas, & legatum, non tabellarium, se esse recordetur. Aut si apud morosum aliquem principem obtentu id erit incredibile, exemplum literarum earum, quæ sibi dabuntur, petat, eoque viso dehortetur eum ab instituto: est enim magna loquendi, sed multò in principe scribendi major licentiæ turpitudo. Proditionis verò alicujus simul ac convictus legatus fuerit, & sine retardatione & gravissimè puniatur, ne, qui non modò facto, sed etiam peccare videtur & exemplo, propter authoritatem & ejus, cujus personam in se sustinuerit, majestatem principis, impunitus dimissus dicatur. *Facilius enim impunita imitamur vitia, quàm, quæ in aliis præmiis affici cernimus, virtutum exprimimus simulachra.* Iam verò nec illud quoque, quod quibusdam placuit, unquam probavero, principi alicui verbis dandis, prius legato, qui ad eum mittitur, dari oportere, quò acrius persuadeat, nihil simulationis in mandatis latere suspicatus. Quorsum enim hæc fuerit simulatio, cùm aut bono aut secus viro mandanda sit legatio? & fido quidem verba non expediat dari, infido se committere planè sit fatuitatis. Nec item alterius laudavero sententiam, qui verbis planè iis vult exponi mandata, quibus ab ipso rege aut principe fuerint pronunciata. Cui enim bono daretur divi-

nitus eloquentia? si pro re & occasione ea non uteremur? & quasi omnes & singuli principes sint ad persuadendum faciles & uniformes, cùm concitatus unus & vehemens sit, sedatus & temperatus alter: ille fundat multa ex tempore verba, hic proferat etiam meditato pauca: ille det ambigua, hic clara responsa: ille propositas sibi res in disquisitionem ponat, hic sine cunctatione respondeat: ac unus non immoretur, alter deliberet diu. *Vt enim facies, sic diversa sunt ingenia hominum*, & non nostris principes, sed nos expedit accommodare se nutibus regum & principum maximorum. Atque ut medicus cibi, & chirurgus balnei, non nisi ejus, qui consilium petit, cognita prius necessitate, tempus & rationem præscripserit: sic & legatus non nisi in arena (quod ajunt) quid illi faciendum, omittendumve fuerit, consilium capere poterit & debebit. Denique ut corpora nostra sine alterna quiete & exercitio; sic nec rerum tractatio potest esse tam aliquando felix, quàm etiam diuturna. Nam si is, qui negotia tractare debeat, celeritate tantùm rationi inimica utitur, quæ ipsius est anima, expers erit dignitatis; sed oportet ut hoc cum illo misceat, & moram festinationi cupiditatíque suæ interponat. Cùm enim volumus esse diligentes, sæpè aut leves, aut importuni habemur: & tantum quidem abest, ut re, quam tam anxiè quęrimus, potiamur, ut vel eò etiam magis, eos quibus cum no-
bis

bis negotia fuerint, principiò erga nos arrogantes, mox obstinatos, postremò etiam cognoscamus furiosos. Itaque ut vel aliquando paulò tardius detur nobis responsio, non subitò præcipitata omnia velimus, aut etiam interpretemur iniquius. *Multi magni morbi* (inquit Cornelius Celsus) *curantur abstinentia & quiete.* Hoc item modo magna quæque negotia, magnâ rerum humanarum tolerantiâ ad exitum optatum provehuntur. Facilis quidem procrastinationis & tarditatis cujusvis invenitur explicatus: nam aut alicujus rei successu temporis veritas disquiritur, aut postulata habentur injusta, aut despicabiles ii, qui eorum sunt authores. Si non extrahendi temerè temporis causa, sed investigandi veri aliquid interponitur moræ, tolerandum est patienter: si injusta legati videbuntur postulata, ut dissimulanter aliquandiu id feratur; nec illud quidem latuerit diu, si contemnimur, ne adeò plus etiam & periculi & difficultatis sortiamur, seriò & sollicitè provideamus. *Importuna petitio despicatum, injusta odium, difficilis aliorum animum reddit erga nos alienum.* Nos verò contra hæc omnia minimè præcipites simus, ne si fortè negatum nobis aliquid fuerit, ad arma necessitatem recurrendi non tam habuisse, quàm ipsi quæsisse videamur: *in multis enim bonis, imprimis nominis & famæ, & bonum amemus publicum.* Quid quod sæpè sæpius usu venit, ut nec in ipsa quidem

dem desperatione omninò sit desperandum, præsertim cum ratio præest, & appetitus ancillatur; & tam is, qui petit, quàm & ille à quo petitur, sui non obliviscitur decoris, status & conditionis. Sic olim & Carthaginenses à Romanis petebant interdum aliqua, quæ nec peti, nedum obtineri videbantur potuisse: & nihilominus tamen postremò facta sunt tandem etiam & facilia ipso obtentu. Non tam enim petentis, quàm à quo petitur, consideratur sæpè conditio: nec tam propter alios, quàm propter nos ipsos multa multis elargimur. Vnde illud sermonibus vulgò crebrò usurpatur proverbium, quòd *juvat audaces fortuna.* Nam quantumvis licèt actum immoderatum fateamur esse audaciam, tamen juvari, ut plerumque fit, audaces videmus, & contra omnem rationem & consilium fieri quamplurima, quæ nihilominus sequi, quàm secus, præstiterit, & in consilium non admittere casum, nec velle videri temerarium. Semel enim & iterum fortunam, quàm rationem magis secuti, & repulsam passi, simul imprudentes impudentesque habemur, & in eorum, quibus cum negotia tractaverimus, odium & suspicionem incurrimus, quorum alterum periculi, alterum nostri causa est despicatûs. Nemo enim iis quæ petuntur negatis, facilè sibi promittat largiora, & duplex ferè accepti & negati beneficii est ratio; dato, ad danda invitamur plura; negato, nos ipsos pri-

vamus

vamus voluntate dandi etiam minutiora. Antequam igitur aliquid postules consultò, postquam postulaveris animo opus est magno, postulatis quæ negantur obliviscendis: ridiculum enim est, ut pomis pueris negatis, sic cruciari prudentiores irritis eorum postulatis. Quò magis in legati cognitione & intelligentia rerum multum est positum, qui ne quid in eo resideat culpæ, consignabit mea quidem sententia tutius omnia literis, & adeò familiaribus & domesticis suis, cunctorum in legatione, vel minutiorum author erit notandorum: ut enim in urbium irruptionibus, præliisque majoribus, nunc hoc iste, nunc videt ille, nec peræquè in narratione rerum concordant universi: sic se habet & in legationibus, quod plus aliquando, quàm legatus ipse, observant ejus familiares, præsertim si sagaces fuerint, & in penitiora ædium intromittantur regiarum, ubi is, qui veluti in proscenium prodit, in rem ipsam intentus, parum aut nihil circumstantiarum videt, comites facilius omnia per se ipsi intuentur. Ad eum modum legatus legatione functus, domúmque suam reversus, principi amabilis, omnibus admirabilis, & æmulis suis, qui, ut umbra corpus, legati comitantur industriam, reddetur formidabilis. Qui tantò etiam aliis communicabit hæc libentius, quantò inde suæ gentis omnes & singulos major manet honos; & secura recordatio naufragiorum affert in

tran-

tranquillo plus voluptatis. Vt enim ii, qui ex magna aliqua portum capiunt tempestate, illis qui portu solvunt, præstant se commodè monitores: sic quidem & legationes publicas obituri, aliorum admonitiones nunquam respuunt salutates. Quæ cùm ita sint, præclarum sanè legationis censendum est munus, sive sanctitatem, sive utilitatem ejus spectes, & sive publica sive privata commoda intueare. Ac proinde probè navata Reipub. à legato opera, ornabit princeps eum & munerabit semper, ut alii etiam ejus exemplo ad virtutem accendantur: *ut enim humana corpora cibo, sic virtus suo alitur præmio, nec libenter feruntur labores, qui nullo prorsus emolumento allevantur.* Quis enim nescit, magnos magno semper vivere, & *aulam splendorem & magnificentiam postulare?* Sic ut æquissimum sit, præter illas, quæ profecturis dantur pecuniæ, opibus Reipub. legatos præterea augeri: magis enim Respub. idoneis indiget viris, quàm vel illi ipsi, Reipub. divitiis. Ac tantum quidem abest, laudi ut fuerit, ineptis idoneorum loco dare; ut solem è mundo tollat, qui virtutem inedia & contemptu labefactat: nemo enim honoratus ipse, habitantem adit sordidè; nemo æstimat viventem parcè, nemo observat cum uno aut altero inambulantem comite; nemo miratur absque currubus, equis, & phaleris, in quodam quasi hærentem pistrino, perpetuáque egestate, & denique

non

non solùm hominum vulgus ipsum, qui hoc maximè capitur, sed & prudentiores requirunt in nobis splendorem vitæ externum, inprimis autem vel internum. Iam verò ut semel & iterum legatus expectationi non responderit, abstineat princeps uti ipsius opera, nec velit committendis erroribus videre aut reddere solidiorem: legatio enim requirit maturum hominem, non tyronem; gravem, non histrionem. Nam quantulum idcunque fuerit, in quo legatus pedem impegerit, augetur verbis vehementius, & hæret memoriæ diu, nec vel unius lapsus, plurium, qui eum subsequuntur, emendatur firmitate. Quo etiam eorundem legatorum, qui benè se gesserunt, opera, quoad ejus fieri potest, diutius apud eosdem illos principes magis expediet uti, ne novi & non peræquè experientes, in errorem aliquem crassum prius illabantur, quàm erudiantur: scopas enim & ministros novos initio laudaveris, sed paulò pòst plura ferè in iis quàm veteribus requiras. Sed nec ita princeps, ut unum & eundem semper mittat, veluti cuidam necessitati alligatum se arbitretur: nam qui identidem & perpetuò operam navant, deberi sibi omnia existimant, & facilius sibi præfidunt, & denique corrumpuntur. Ac ne multa, tam princeps dimittendis legatis, quàm legatus ipse his rursus rebus negotiisque tractandis, magno delectu, consilio & rerum usu ipso opus habet: turpius enim cum

mandatis

mandatis revocatur, quàm ea negantur legato, & quàm rectè factis suum honorem tribuamus, minus alterius commiseremur infirmitati. Interim tamen meminisse pro se quisque principum etiam debet, quòd in hoc mundo immundo, ceu vitiorum quorundam versamur omnes Oceano, & montes atque colles stare, homines hominibus obviam fieri, & tanquam lepores leporibus simillimos nasci. Iudicia quidem sua ferre de nobis vulgò varios varia, sed (ut plerumque fit) sæpius etiam nihili & temeraria. Victûs ergo ratione tantùm valetudini consulendum, & medicorum turbam negligendam. Observatum est, non peræquè tribui laudem & præmium virtuti, quàm præstari patrocinium sceleri, nec tam suspici doctum & diligentem, quàm cum hoc commisceri rudem & insipientem. Regium verò esse, beneficiis obligare sibi multos, fideles licèt experiatur quàm paucissimos: audire vulgo malè, & facere nihilominus benè; vitiis etiam quàm hominibus plus succensere; ingrato aliorum animo non offendi, & quantum Deo Opt. Max. pro tot ac tantis acceptis beneficiis ipse debeas, & quid gratiæ exolvas, tecum ipse reminiscendo recordari; ac tum nimirum futurum te aliis quoque, quos ingratos dicis, æquiorem. Vnum autem pro multis relaturum semel beneficio vicem, & Deum Opt. Max. tam esse semperque fuisse locupletem, ut aliorum inopiam possit & velit supplere.

ſupplere. Poſtremò Ioannis Sepuſii Hungariæ Regis dictum illud eſſe memorabile: Si vel mille quotidiè nos fraudarent homines, non admittendos in conſuetudinem poſtridiè quadrupedes ; verùm cum illis ipſis hominibus vivendum & moriendum. Vnus Deus Opt. Max. eſt perfectiſſimus, homo homine imbecillior & imperfectior paulò plus vel minus. Vnam interim normam illam vitæ potiſſimùm obſervandam, ut arcana celemus, pauca loquamur, nihil inconſultò aggrediamur: nec modò ordiendæ rei principia, ſed finem adeò ac exitum cogitatione colluſtremus: falſitatem, quantum in nobis eſt, habeamus odio: parum aliquid aut nihil temporis otio, plus ſemper tribuamus negotio: virtutem honore, ſcelus dignum arbitremur ſupplicio: cohibeamus iram, ſervemus moderationem animi & juſtitiam: loco ſuperioribus ſine retardatione cedamus: inferioribus de eorum jure nihil prorſus detrahamus: fide & taciturnitate maximè commendari, pauperum miſereri, ut & ipſi miſericordiam aliquando ſortiamur, velimus: & ante ultima funera *tempeſtivè diſcamus mori*, ne illa ſuprema die, qua multa incommoda ſimul concurrent, tanto, quantus futurus eſt, oneri atque angori, ſuccumbamus. Noſtrum iſtud, quidquid eſt, ſcire & vivere umbræ eſt ſimillimum. Nos igitur ipſos quàm alios potiùs noſcamus, ne falſa perſuaſione de nobis inebriati, cùm portum cepiſſe

nos,

nos,tum maximè portu solvisse videamur. Deus Opt. Max. bonorum author est omnium, qui dat & illuminat intellectum, & qui facit omnia sine errore, & nihil vult fieri, ut hic tantùm laudemur assimulata probitate. Facilè alioqui pedem impingit mortalis, sed qui lapsus non surrexerit, ad interitum ruet ipse voluntarium,quem pro se quisque tum maximè timeat,cùm præfidere sibi ipsi cœperit; & morbum, casum, senectutem, quasi quosdam prænuncios mortis, ipsúmque adeò se creatam rem, & creatorem noluerit agnovisse: Qui cùm unigenam suum filium apud nos legatione fungi, & ipse Apostolos suos quasi quosdam interpretes, & nuncios rerum vitæque nostræ magistros per orbem terrarum passim voluerit mitti,nos quoque ad unam illam æternam ipsius gloriam, legatos & legationes, nostráque dirigamus universa, & non magis dici, quàm esse in occasionibus idonei legati, & qui eorum mittendorum potestatem habuerint, inprimis considerati, ac quod denique summum est, erítque perpetuò, omnes omnibus in rebus & actionibus nostris non magis nomine, quàm ipsa re Christiani esse & haberi cupiamus.

Finis ad gloriam unius Dei Opt. Max.

STA-

STANISLAVS MINSCIVS PALATINVS LENCICIÆ, Christophoro Varsevicio S.

LEgi epiſtolam tuam, pronubam libri de legato & legatione tui, & quidem ita legi, mihi ſummæ ut fuerit voluptati: nam & amoris in me tui, & ingenii ſimul velis ita vectus es latiſſimè, ut horum utrumque ſibi viciſſim adjumento fuerit. Quid enim brevibus, vel de me honorificentius, vel de ipſa ſingulari materia gravius dici potuit? In quo cùm omnia & doctiſſimi viri, & amiciſſimi conjunxiſſes officia, illud eſt quod vereare, ne dum me parem præceptis fingis, judicio graviſſimo tuo nonnihil præjudicaſſe videaris. Amavi te ſemper, mi Varſevici, ut debui, cùm ob ſingulare animi tui in me ſtudium, mihi antea jampridem notum, & antiquam familiarum noſtrarum in hac provincia conjunctionem; tùm ob eas animi dotes, quibus non ſolùm te, ſed & patriam exornare ſemper ſtuduiſti. Nunc verò te etiam atque etiam diligo, & admiror me herculè, quod inter tot tuas calamitates, & adverſæ fortunæ procellas, non modò animum te dignum non remiſiſti; ſed & ſtudia ac literas ita coluiſti, ut nunc plurima laborum & lucubrationum tuarum monimenta, externorum manibus ſumma cum laude tua paſſim conterantur. Ita ſeneſcere oportet virum, qui tot Imperatoribus, tot regibus, tot Principibus ſervierit, & chariſſimus fuerit, negotia domi foriſque tractaverit, multas gentes, regiones, moreſque ipſarum viderit, ut & prima vitæ tuæ tempora, & media, & extrema meliori præmio, non animo, à judicibus haud invidis digna fuiſſe cenſeantur. Ad quorum certè conſenſum, unus ego licèt parvus magnarum virtutum tuarum & doctrinæ teſtis, libenter accedo, & dum ipſe civili labore liberioris vitæ otium mereri ſtudeo, favebo ſi unquam potero dignitati tuæ. Interim te valere percupio. Datæ ex Minſcio VII Calen. Decembris. Anno M. D. LXXXXI III.

CHRI-

CHRISTOPHORI VARSEVICII,
DE CONCILIO
ET
CONSILIARIIS PRINCIPIS
Liber;

Ex F. Furii Ceriole Hiſpanico in Latinum verſus.

Illustrissimo Principi &
Reverendissimo

DOMINO,

D. GEORGIO,

Miseratione Divina, Tituli S. Sixti, S. R. E. Presbytero Cardinali, Radivilo nuncupato, perpetuo Administratori Episcopatus Cracoviensis Ducatusque Severiensis nec non Olicæ & Niesviez Duci, &c. &c.

Domino semper colendissimo.



Vi non modò suo marte edendis, verùm etiam aliorum bonis convertendis desudant libris, næ haud illi ineptè fecisse, & oleum (quod ajunt) operamque videntur mihi amisisse. Alienæ enim lucubrationis versio fidelis, cùm utilis est multis, tum tuæ ipsius opinionem præbet omnibus, & argumentum navitatis. Quo magis hunc Ceriolam Hispanum, Latinè à me versum, & sub tuo, Illustrissime Princeps, prodeuntem

tem nomine, si non omnibus, sanioribus saltem probatum iri spero, opto quidem certè; verbum enim verbo redditum est, quidquid in materia tam gravi & ardua, breviter & succinctè ab eo est exaratum. Quod sanè, multis multorum, vel longissimis commentationibus est præferendum. Sic enim respondet acumen ingenii pectoris candori, & disputandi subtilitas sententiarum gravitati; ut tales Ceriolæ consiliarii omni ævo optari, quàm sperari videantur mihi magis potuisse. Sed utinam quidem vel aliqua aliquando extet eorum similitudo, cùm Catones præturis, & non hæ illis sint fuerintque semper magis quærendæ; minus fortasse his moribus & temporibus Respub. laboraret. Quod tamen ego, assequi si vellet, velle autem debet, principum posse dicerem non neminem, vel hoc uno Ceriola per otium lectitando. Est enim rectus & tectus dandis consiliis, sic ut, licèt ab alio quodam etiam conversum audierim, viderim quidem nunquam, non pœnituerit me in eo vertendo laboris & obitæ, si quæ fuit, difficultatis: uno illo excepto, quòd in Polonicis quibusdam hallucinatus est rebus, & nimis magnam in candidatos dedisse licentiam, aulæ pesti videtur, obtrectatoribus. Quod tamen ipsum non maligno animo

mo illum fecisse, & hos, si qui fuerunt, nævos, præclaris aliis consiliis obscurâsse, & ab Hispanico nomine tyrannidis suspicionem falsam, quam alienæ felicitatis comes invidia, & civiles, inciviles admodum, inter Christianos discordiæ gignere consueverunt, quantum in eo fuit amovisse, quis ignorat? Quæ una (pace aliarum dixerim) natio inter tot tantasque alias, haud scio si obtinuerit in multis principatum, sive imperii quam habet amplitudinem, sive religionis spectes constantiam, sive denique morum præ aliis firmiorum, & monetæ (licet minimum id fuerit) non suspectæ cudendæ intueâre rationem. Quæ peræquè omnia non ita ubique inventu sunt facilia, & vel ipsa adeò monimenta, qualia ex Hispanicis prodeunt scriptorum, afferunt nostro seculo lucem, & nomen genti existimationemque singularem. In quibus hunc unum Ceriolam, Illustrissime Princeps, dedicare potissimùm placuit tibi, quòd & Hispanicæ linguæ gnarus, & in omnibus Hispaniarum regnis summa cum pietatis tuæ & sanctimoniæ laude versatus, proptereaque & in aula illa à summo regum inprimis honoratus, & à me, antequam hæc ederem, quasi alter Ceriolæ Consiliarius semper fueris existimatus. Quem Deus Opt. Max. florentem, & quàm

Hispania laudatur.

diutissimè servet incolumem. Ego, quod reliquum fuerit, me, servitutemque meam offero, & commendo tibi sempiternam. vale. Cracoviæ XXVII Iunii. Anno 1595.

D. Vestræ Illustriss.
& Reverendiss.

Addictiss. servitor

C. VARSEVICIVS.

CHRIST.

CHRIST. VARSEVICII, DE CONCILIO ET CONSILIARIIS PRINCIPIS Liber;

Ex F. FVRII CERIOLE Hiſpanico in Latinum verſus, inque lucem editus.

CAPVT I.

DE CONCILIO.



Rincipis Concilium hominum ſelectorum eſt conventus, ſeu quædam congregatio ad conſilium, in omnibus ei præſtandum, quæ tam bello incidunt, quàm etiam pace; ut tanto quidem facilius recordetur præteritorum, & futuris proſpiciat, & in rebus deliberationibuſque omnibus proſperum exitum ſortiatur; ut adverſa interim vitet atque fugiat, aut ſi evitari non poſſunt, quoad ejus fieri maximè poteſt, in id incumbat, ne quid detrimenti patiatur. Quem eundem conventum, propter finem, ad quem eſt excogitatus, placuit non nemini Conſilium appellâſſe. Nobis verò juſtis quibuſdam de cauſis, quas, ne prolixi ſimus, con- *Concilium quid?*

sultò prætermimus, Concilium dicere videtur non ineptum. Quo tamen non obstante, pro se quisque, ut rectiùs existimabit, loquatur & scribat, cùm hac in parte, Concilium vel Consilium dicere, perinde fuerit. Qua de re omissa disputatione, ad propositum revertamur. Est ergo concilium Principi idem, quod omnes ipsius sensus, ipsius intellectus, ipsius memoria, ipsius denique oculi, ipsius aures, vox atque manus ipsius: Populo verò est pater, est tutor, est curator: idem & uterque tam Princeps, quàm & illud ejus concilium, personam in terris referunt divinitatis. Quo fit, ut bonum consilium quandam veluti integram perfectionem & auctoritatem tribuat ipsi Principi; sustentet & augeat populum: & uterque, Princeps inquam & Concilium, boni, fideles, & verè sint ministri Dei. Ex adversus verò *malum concilium obscurat*, *& in nihilum ipsum Principem redigit*, *& ceu quoddam saxum reddit*: Quo olim aliquando veteres Romani suo Deo Termino effingendo utebantur: Populus ipse dissipatur, & tam Princeps quàm & ejus concilium, fiunt Deo Opt. Max. rebelles, & mancipia Sathanæ. Quæ quidem tales ac tantæ sunt res, ut nesciam, liceatne in hac vita spectare graviores. Quo magis etiam dies noctesque ipsis invigilandum est Regibus, ut tale exquirant & habeant concilium, in quo nec vel minimum desiderari posse videatur. Mihi quidem,

cui

cui rationem & experientiam, & regulas maximorum Rectorum sequi placet, hæc stat sententia: Quòd etsi consilium Principis, non nisi existat unum, in quantum habeat caput, qui est Princeps; distermina-re nihilominus in partes multas illud opor-tere, quæ ipsæ non minus quàm pedes, bra-chia, & alia membra Principi responde-bunt: quæ, licèt loco, forma, & officio disparia sint, unum constituunt hominem; sic & concilium, quàmlibet, ut necesse erit, in multas dividatur partes, non plus quàm unum referet corpus, & declarabit unam videlicet & bonam administratio-nem, & defensionem, cujus caput est Prin-ceps, & ejus membra diversitas consilio-rum. Vnde, qui assignare voluerit regu-las & ordinem alicujus boni concilii cu-juscunque Principis, ante omnia explicare debet, quot consiliis indiget: & in quo-libet ipsorum, quot consiliariis, quot præfectis, quot à secretis, quot scribis o-pus habere videatur: quas porrò prærogativas, & quantum habere debeant auctoritatis: quomodo conveniendum eis sit, quo loco, & tempore, qua hora, quomodo proponenda negotia, quibus reddendæ Schedæ, quæ vulgò appellantur memoria-lia, apud quos requirenda responsa, qua ratione dicendæ sententiæ, & alia quàm plurima: postremò necesse est, ut ostenda-tur, quo modo ipsa etiam concilia se mu-tuò ad evitandam negotiorum confusio-

nem intelligant ; & quo pacto tandem concilium in extrema determinatione, antequam sequatur conclusio, informare ipsum Principem debeat, ad quem omnia necessariò referuntur. Me quidem hunc ordinem secutum, par erit à prima parte sumere exordium, qua planum fiat, quot Principi concilia necessaria sunt futura.
Concilia septem. Quod quidem jam dico, nec pluribus quàm septem, nec etiam paucioribus esse necesse: & ut denique disertè explicem omnia, repeto identidem, instituendum & servandum septuplex Principi esse concilium, pro toto & integro ejus imperio, negotiis, ministris, munere & auctoritate, si vult bene & citra difficultatem administrare Principatum. Quorum eorundem
1. dem conciliorum, erit ærarii primum, & ita quoque Concilium Ærarii nuncupetur: Cui cura incumbet omnium proventuum Principis, tam descriptorum, quàm extraordinariorum: & quomodo congregare, custodire, tueri, amplificare ipsos proventus oporteat: Quomodo etiam extraordinarii sunt exigendi, unde, quo tempore: postremò, qua ratione tributum ipsum imperandum sit, & quo pacto imponi, augeri, & promulgari sine damno & querela populorum queat. Nec verò non & illud animadvertendum est, ut etiam ea, quæ aut superflua, aut injusta, aut nociva & odiosa sunt, abrogentur. Huic eidem concilio omnium, tam belli quàm pacis

pacis tempore, sumptuum Regiorum incumbet cura: & ita quidem, ut modicè auferantur sumptus; alii autem qui fuerint necessarii, augeantur: *regum namque opes, non solùm conquirendo ære, sed immoderato etiam demendo sumptu continentur.* Sic, ut hoc concilium Thesaurus sit Principis, aut ærarium, sicut olim Romanis antiquitus dicebatur. Sine quo, in quocunque tandem Principatu, Princeps egebit semper, & debita contrahet, & erit subjectis imperanda pecunia gravis, qua & ipsa sensim minuetur, populi verò exarescent, & instar mortuorum penè reddentur. Alterum concilium est pacis, 2.
quod erit illud, quod vulgo concilium status seu administrationis appellatur: continet quippè gubernationem universam. Quod unicuique pro eo, ut placuerit, appellare licitum sit. Ego Concilium Pacis nuncupabo: cujus erit proprium, circa civiles, & legum res sive actiones occupari, inspicere proreges, & rectores, correctores, duces turmarum, quos vulgo campiductores nuncupant: castellanos, præfectos, consiliarios, & reliquos omnes Principis tam belli quàm pacis administros: si rectè suo aut verò secus funguntur officio; si tempus eorum administrationis finitum est, qui eorum surrogandi sunt loco, & qui etiam excludendi: postremò, ne vel provisiones quoque & expeditiones surreptitiæ fiant, est providen-
 dum,

dum. Hoc idem concilium ordinariorum & extraordinariorum sumptuum subducet rationes, si suo subministrantur tempore, æquè bello atque pace: Quo magis dabit etiam schedas, quarum ratione apud ærarii, de quo diximus, concilium tandem præstetur. Quod ipsum instar vasis erit alicujus, ad recolligendam in se servandamque pecuniam, & ab hoc fiet distributio, mandato & potestate concilii pacis, sine quo ne unus quidem teruncius est absumendus. Hoc deniq; idem expendet & perponderabit secum concilium, quo cum ineunda & quo cum sit abrumpenda pax, seu bellũ ordiendum: à quo alienior, & cum quo Princeps debet esse conjunctior: quo cum bonis verbis tantùm demptis rebus, & quibus cum rebus ipsis uti expedierit: & in his omnibus, quomodo, quantum, quando privatim, & quando publicè est progrediendum. Quo ipso erit hoc concilium tanquam ca-
3. put quoddam omnium reliquorum. Tertium est consilium bellorum: & sic omninò est appellandum. Huic intererit, quomodo arces rectè muniendæ, erigendæque munitiones, quomodo tuenda sint confinia, quibus tam bello quàm pace præsidiis sarta tectaque conservanda, & alia ejus generis plura habere debebit explorata. Idem & exactè sciet arma, armorumque genera, exercitia, & omnem antiquorum rationem præliandi: Quæ nimirum cum præsenti rerum temporúmque statu & conditione comparabit.

rabit. Intelliget unius & alterius discrimen: equitum turmas, & peditum cohortes suo ordine disponet: & quæ gens aut natio, quave in re præstet aliis, & quæ denique his vel emendandis vel immutandis via inveniatur, non ignorabit. Noscet egregiè sui Principis vires, & ejus hostium sive adversariorum: & utræque quantæ futuræ essent, si sociorum adjungerentur potentiæ, aut quantæ rursus, si illa destituerentur. Quid postremò in præsentiarum valeant, & quid progressu temporis valere queant, circumspiciet animo, tenebítque memoria præterita sui Principis, & ejus majorum bella, & prælia universa, quæ videlicet principia, progressus, consecutionesque & eventus sortita sunt, & quid qualésque res, & causæ, ad dandas & accipiendas utrinque conditiones eos traxerunt. Hoc idem concilium sui Principis hostium circum vicinos cunctos, socios, confœderatos, & qui inimici esse possent, intelligendo assequetur. Nam demum eo modo non difficile erit judicare, si majores hostium fuerint vires, ut potiùs, quàm bellum poscamus, pacem; & si erit secus, ut item contrarium experiamur. Et si fortè hostibus sumus inferiores, quibus rebus, an armis, an verò usu & exercitatione bellandi, an ducibus, an præfectis, an pecuniis, an opinione & fama, an amicis & sociis, an comitatu, an rebus similibus, disquirendum. Omnibus autem his ritè

examinatis & perspectis, acutè & prudenter investigabit, quo pacto fieri posset, ut non solùm nos ab hoste tueamur, sed adeò fatigemus atque debellemus ipsum hostem. *Est enim certum, viribus & potentiâ præstare intellectum.* At verò in principatu, ubi horum reperitur nihil, errat Princeps perpetuò, quascunque tandem persequi res habet apud se constitutum. Bellum extra tempus & rationem movet: administrare illud nunquam & multò minus scit terminare: ad fortunam refert omnia, & casus in ipsius consilio dominatur: ac ut denique aliquem vincat aliquando, uti nescit victoria: si autem vincatur, dejicitur animo, ac quo se vertat, ignorat, & muliercula instar, si non in hominum turba, saltem privatim secum ipse colluctatur. Atque ut id, quod ei reliquum fortuna fecit, tueatur, & suam debilem & mancam quoquomodo sustentet sive famam sive dignitatem, ad turpes condescendit conditiones aut induciarum, aut verò ipsius pacis. Quo loco risum movet audire voces inscientium, qui de fortuna conqueruntur, & non intelligunt, *exiguum ibi fortunæ restare locum, ubi viget prudentia.* Alii verò, ita visum fuisse Deo Opt. Max. testificantur. Interim autem ego de divina providentia non disputabo; verùm si licet, cum Paulo loquar. Si tales non sunt Deo à secretis, aut à sancta Trinitate non acceperunt literas, quam habituri sunt certitudinem,

nem, ita habere rem se, quemadmodum ipsi asseverant? Nonnulli, nostra causantur scelera, & hæc quidem veritas est ipsa. Nam errores Principum, & eorum perversorum consiliariorum, illa ipsa sunt scelera, quibus ad nostrum & eorum exitium præcipitamur. Sed ne multa, iterum dico, quòd quandocunque tale, quale superius demonstravi, non habebit deinceps concilium, non mirabitur, adversa & infelicia omnia in bello sibi evenire. Quartum est de commeatu & provisionibus, & ita il- 4.
lud nuncupabo, Concilium Commeatûs. Huic cura incumbet providendi & paciscendi de victu & commeatu, pacis & belli tempore, pro toto & integro principatu: & idcirco oportet, in numerato descriptaque habere eum omnia ad suum munus pertinentia & principatum: Quantum nimirum habeat commeatûs: quantum ejus supersit, & quantum desit, quantum terra marique importetur & exportetur, & unde promitur, quo itinere, & quomodo, & quando affertur, & his similia. Quicunque autem à Principe exportandi commeatus postulabit facultatem, sine hujus concilii scitu & voluntate eam non assequatur. Revera, si tale concilium, ut expedit, constitueretur, neque bello neque pace deessent nobis necessaria ad vitæ humanæ sustentationem; & suppeditaremus adeò iis nostra, quorum amicitiâ & benevolentiâ indigemus. Iam verò dum illud desideratur, con-

confunduntur omnia , & quælibet provincia plurimas patitur difficultates. Malitia aut avaritia paucorum necessarias surripit res, desumusque amicis; inimici verò magnitudine pecuniæ iis rebus aliquando potiuntur. Vnde nostri languent, & à nobis abalienantur. Ac denique illud etiam experimur, ut ob talis concilii penuriam in iis regionibus oriantur bella, ubi neque equis neque hominibus certa vitæ præsidia amplius relinquuntur, & vix in bellum egredimur ipsi, ut nos deficiunt omnia, redeundum est domum necessariò, aut præter tempus turpis ineunda pax, sive induciæ cum Principis infamia, & erga eum offensione populorum. Duo namque subjectorum benevolentiam Principibus conciliant, Vnum cùm à potentioribus tuentur, & vindicant suos: Alterum, cùm illis benè cum iis conveniet, sine quibus commercia & negotiationes ipsorum ægrè & cum difficultate peraguntur.
5. Quintum est Legum, & ita appellandum est Legum concilium. Hujus incumbet curæ, audire, quibus functionibus, quibus magistratibus, quibus rectoribus, & cum quali & quanta potentia vel auctoritate Principatus indigebit. Istud adinveniet, qui desiderabuntur, novos, veteres verò vel superfluos abrogabit. Habebit præterea onus condendarum, declarandarum, mutandarum, & delendarum legum, & instituendarum, ut dixi, necessariarum. Hoc Concilium

lium erit ceu Pater & defensor legum, omnemque animi seu mentis suæ in id intendet aciem, ut sine ulla exceptione, re & veritate eis satis fiat. Propter talis Concilii inopiam videmus in multis regnis & urbibus minus magistratuum, quàm Reipub. expediret; ex adversus in aliis plures, & quod omnium est pessimum, alicubi reperiuntur illi ipsi sibi invicem contrarii, & repugnantes magistratus. Quòd si non in rebus peræquè omnibus, saltem in aliquibus. Vnde infinita mala, simultates, odia, hostiles civium erga se animi, contentiones, & litium controversiæ enascuntur. Quæ demum conjurationibus, & effusione sanguinis, vel ipsius Principis, aut imperii illius ruinâ & in alios conversione terminatur. Multi autem ista non considerant. *Et quæ malorum semina uno anno jaciuntur, eorum messis supervenit in sequenti.* Apparet igitur, quantum sit positum in condendis emendandisque legibus, liberè ut audeam affirmare, in centum, nonaginta quinque erroribus vel defectu vel absurditate legum errari. Quæ ipsæ his moribus temporibusque nostris nullo amplius sunt usui, neque possunt aut debent custodiri: & quia non habetur tale concilium, neque mutantur, neque emendantur, neque etiam abrogantur, sed serviunt tantùm causidicorum ambitioni & avaritiæ; ut iniquè & falsò ferendis litibus sumptus cupiditatum per eas consequantur. Sextum erit

6. erit pœnarum, & ita appello pœnarum Concilium. Hoc omnia criminalia in se uno continebit, quantum spectabit personam ipsius Principis, pro re & occasione, aut via aliqua incidente. Feret etiam sententiam in & de omnibus criminibus, secundùm illius urbis leges, ubi committun-
7. tur. Septimum est præmiorum, & ita Concilium Præmiorum illud vocabo. Huic intererit, benè vel secus merita omnium & singulorum non ignorare; vitam & mores, virtutes, gestasque res habere exploratas, adeò etiam illorum, qui utut non petant, propter sua rara & excellentia merita, præmia meruerunt; At verò maximè eorum, qui adeò etiam, ut eorum ratio habeatur, instabunt. *Nam si infligendæ pœnæ sunt malis, suo honore & præmio minimè etiam defraudare ipsam expedierit virtutem.* Omnia autem præmia, quæ Princeps distribuit, ex consilio ipsius concilii id faciet; nec sine ipsius scitu & conclusione hac in parte aliquid aggredietur aut terminabit. Interim tamen, quod tale desideratur concilium, virtutem passim in aulis videmus, ut plerumque fit, viluisse: Omnia cædunt favori aut nundinationi: Idoneus, & paulò obscurus vel pauper homo in angulo delitescit, aut tardè & ægrè admodum virtutis suæ refert testimonium. E contrario homines nihili, hypocritæ, sycophantæ, adulatores, plus experiuntur beneficentiæ, fiunt Principum familiares,

aucu-

aucupantur, & assequuntur facultates. Quid igitur sequitur? Boni aguntur in furorem, nonnulli moliuntur vindictam, vindicta movet factiones, pariunt turbas, cædes, tumultus, & Principis ipsius ac imperii ejus eversionem. Atque hæc quidem concilia sunt septem, ad quemlibet gubernandum necessaria principatum: & id cùm propter alias multas & justas causas, tum verò ideo maximè, quòd in tali distinctione, seu conciliorum divisione, melius & facilius expediuntur negotia, & Princeps ipse non tantoperè occupatur & distinetur, cùm caruerit tot tantisque curis rerum à se petitarum, aut petendarum. Ipsi etiam subjecti, non tantam valetudinis, pecuniæ, facultatum patiuntur jacturam, dùm expectant decisiones causarum, etiam minimarum, & consiliarii non habebunt tantum quod agant, distributis ipsis negotiis, & ab invicem inter illos separatis. Video quippè laboriosum instar mortis esse, tribus aut quatuor, aut etiam sex omnem molem imponi negotiorum tàm belli quàm pacis, & pœnarum, præmiorumque, & nunc Reipub. curam, nunc ipsius commeatus, & sexcenta tam parva quàm magna, tam levia quàm gravia, tam jocosa quàm seria, divitum æquè & pauperum, quæ vel ipsâ magistrâ experientiâ ne mediocriter quidem curari possunt omnia; ut omninò, qui hæc Consiliariorum sui Principis non perspiciat, cœcus esse videatur.

deatur. Qui autem perſpiciunt, & non occurrunt, neque ut plura concilia conſtituantur, Principi ſuo fiunt auctores, ut eo ipſius negotiis melius atque facilius provideant, tales ſunt avari, ſunt ambitioſi, ſunt vani, ſunt damnoſi Reipub. Etenim nihil aliud propoſitum magis habent, quàm ut adorentur, quàm ut ſe ſuoſque ditent & extollant, etiamſi interim Reſpub. detrimenti aliquid patiatur. Materia hæc revera eſt gravis & ampla, ſic ut eâ fuſius explicandâ me oporteret eſſe longiorem. Sed hæc interim, ex quibus reliqua poſſunt comprehendi, dicta ſufficiant. Illud autem potiſſimum conſiderare Principem par fuerit, ut unus aliquis conſiliariorum, conciliis aliis nec ſe ipſe ingerat, neque ab aliis miſceatur. Exempli cauſa: Conſiliarius qui erit ærarii, omninò ad reliqua alia concilia ſex non admittetur: & quod de uno concilio, hoc & de aliis dictum volo, prorſus, ut liceat niſi unius concilii agere res conſiliario nemini. Alioquin plura concilia in unum redigerentur, & nihil eis aliud quàm nomen vanum & otioſum reſtaret, & ipſe denique infinitis difficultatibus & periculis, de quibus alio loco mentionem fecimus, exponeretur Principatus; unde majora quotidie & graviora damna exoriri oporteret, quibus commemorandis nolo eſſe prolixus. Conſequens proinde eſt, ut ordinandis his ſeptem ritè conciliis, à primo ad extremum conſiderentur

omnia

omnia minutatim in suis partibus, ponderibus, & circumstantiis, de quibus in istius capituli exordio est disceptatum. Quod ut adeò lucidius declaretur, in libros septem dividi illud oportebit, & unusquisque liber declarationem concilii unius continebit, in quem etiam adjumenta pro se uniuscujusque consiliarii includentur, & (ut aliquod in iis discrimen fuerit,) consiliariis ferè omnibus convenient; dividere autem adjumenta illa, errore non careret. Dicemus igitur partes & adjumenta boni consiliarii generatim. Atque hoc ipso tandem huic libro finem imponemus, qui erit primus de Concilio & Consiliariis, & cum aliis septem communis. Quos, quando Deo Opt. Max. fuerit visum, eo duce & auspice prosequemur.

CAPUT II.

DE CONSILIARIO.

Et primum quidem, de ipsius quo ad animum adjumentis.

CONSILIARII persona est idonea muneri & effectioni uni ex supradictis conciliis electa. Quo magis considerandum est, in Consiliario duas requiri potissimum res; ut idoneus & par functioni sit obeundæ; altera, ut ritè legitiméque eligatur. Quod propriè quidem ipsi Principi

In Consiliario duo requiruntur.

cipi

cipi incumbet; sic ut esse & haberi idoneum, sit consiliarii; Prudentia verò consiliarii eligendi ad ipsum pertineat Regem. De una tamen & altera re scripturi, ab ipso consiliarii munere exordium capiemus. Virtus & præsidia viri duabus maximè rebus ponderantur, animi & corporis adjumentis: Verùm in altero corporis, in hoc porro capite animi præsidia intueamur: Quæ his sequentibus partibus quindecim facilè constiterint. Primùm quidem, ut consiliarius rari & excellentis sit ingenii. Etenim *rarum ingenium, principium medium; & finis magnarum & plusquàm humanarum est actionum.* Cunctæ, quæ in homine inveniuntur & inveniri possunt, virtutes, nisi magnum habuerint ingenium, sunt humiles, vires suas perdunt, & quasi nihili æstimantur. Experientia ipsa docet, omnes artes, omnes magistros, omnes libros, omnes admonitiones & consilia, exiguum facere profectum in iis, qui ingenii sunt tardioris. Sic ut ii eorumque similes, multis admonitionibus, continuo studio & solicitudine, diuturno item labore parum aut nihil assequantur: Magnum contrà ingenium paucis admonitionibus, minori labore, brevi tempore, eò, quò tendit, pervenit. At breviter; tardius ingenium est instar alicujus campi sterilis, qui quantumvis licèt multùm colatur, aliis non respondet bonitate, nec tantum frugum, nec tam citò, neque tam-

I. *Ingeniosus.*

tam bonarum afferre consuevit. Itaque ubi magnum defuerit ingenium, ibi nulla virtus potest esse solida, & omnibus partibus numerisque absoluta. Quo etiam magis hoc primum præcipuumque esto, quod idoneum, quoad quidem ad animum, consiliarium testificetur. Et hoc rarum magnumque ingenium volo, ut Princeps exploret ipse, nec aliorum sermoni aut testimonio de eo acquiescat. Cujus cognoscendi præscribam adeò certas notas, ut nisi prorsus cœcutiat, tanquam solem in meridie deprehendat, & hoc idem servabo in reliquis etiam adjumentis ejusdem consiliarii exquirendis. At quod ante dixi, ipsâ experientiâ duce, quæ in dictis factisque per se cuique fuerit vis, facilè assequetur. Dicta namque rarioris ingenii non sunt in usu & consuetudine posita communi: & quemadmodum animo concipit res ab aliis magnoperè separatas, ita eas eloquitur, cum magna & perillustri sermonis & ratiocinationis differentia. Est enim certum, talem verbis & sententiis aliis uti, quàm quæ cadunt in multitudinem, sic ut discutiat & dispiciat melius & solidius res, præter opinionem & expectationem permultorum. Est talis sermone acutus, in responsis promptus, facilis ad intelligendum, in instruendis aliis expeditus & clarus, in facetiis jucundus, in seriis circumspectus, scit se iis, quibus cum habet aliquid negotii, accommodare, sive illi boni,

boni, sive sint mali, semper tamen salva ipsa virtute. Nunquam verò is auræ servit populari, neque ad favorem vulgi loquitur, neque os habet aqua repletum, non est ulli molestus, non stomachatur, non est confusus, neque infestus alicui genti aut nationi. Inter alia autem turpis ingenii argumentum est evidentissimum, de suo adversario malè, & cum quadam animi perturbatione loqui, tum & de hostibus sui Principis, aut denique de iis, qui alterius sectæ sunt, vel externi vel alienigenæ, sive illi Iudæi, sive sint Mauritani, sive gentiles, sive Christiani. Magnum quippè ingenium in omnibus tandem regionibus septem malæ viæ miliaria cernit, & malis bonos intermixtos semper & ubique esse locorum: quod bonum est, laudat & sequitur; quod malum, & condemnat & aversatur, idque sine nationis ejus probro, in qua simile quid intuetur. Opera ingenii magni sunt viva, sunt efficacia, assiduè est occupatum, vult videre omnia, audire omnia, tangere omnia, prætermittit nihil, legit quàm plurima, confabulatur cum omni genere mortalium, scire avet præterita, intelligere præsentia, assequi futura, vel ipsâ etiam conjecturâ. Multarum artium homo talis est gnarus, non unâ & alterâ, ac ne tertiâ aut quartâ est contentus; sed appetit scire & discere aliis plura & subtiliora. Proinde plus etiam aliis ponit in qualibet re studii & vigiliarum. Hic ejus-

ejusmodi in sua juventute habet aliquid semper viriditatis, & omnis generis profert fruges, & (quemadmodum rectè alicubi dixit Maro) instar fertilis est campi, in quo, propter nimiam ubertatem, generantur aliquando herbæ, inter bonas non omnium optimæ, cùm nusquam aliquem insignem belli Ducem, Principem virum, aut Philosophum alicujus nominis legamus fuisse, cujus præclaris virtutibus aliqua aliquando vitia & vel notabilia inspersa non fuissent. Cùm autem tale ingenium maturuerit, quòd circiter trigesimum ipsius ætatis annum plerunque accidit, profert tandem fructus omninò salutares; ac, ut uno verbo dicam, planè est divinum. Ex adversus homo remissus & debilis, piger & dissolutus, non nisi abdomini videtur esse natus, ut bibat & comedat, ludisque & ineptiis occupetur. Hic nihil scit; Nullas artes & secreta naturæ discit; magis ardua negotia non intelligit; externorum familiaritatem refugit; & aut turpiter vivit, aut saltem ingenii, quod minus quàm mediocre sit, semper notatur. Secunda nota est, quæ quoad animum idoneum monstret consiliarium, ut artem calleat & facultatem benè & appositè dicendi. Quemadmodum enim non ulla alia magis re, quàm intellectu & sermone à brutis animantibus homines differunt, sic tantò quidem alii aliis antecellunt, quanto bene dicendi adjumentis majoribus ful- Piger.

Eloquens. ciuntur. Expedit igitur consiliarium instructum & exercitatum esse in Oratoria facultate; tantumque adeò in hoc studiorum genere ponet operæ & industriæ, ut emineat præ cæteris, & vel eò admirabilis maximè videatur. Quotidie enim offeruntur occasiones Principi, consiliarios suos aut ad exteros, aut verò ad subjectos ablegandi, sive illi Regni, sive Provinciæ, sive urbis alicujus nomine & ambitu continentur. Hic debebit suadere aut dissuadere, accusare aut defendere, laudare aut vituperare, boni aut mali aliquid exaggerare verbis, & his similia. Quæ omnia rectè & scienter fieri necesse est, ad commoda, & Principis, à quo mittitur, dignitatem; Quæ dum præstare nescit, periculo & vituperio, imò & exitio aliquando se exponit. Quo plus Reipub. quàm ulla alia re, inuritur calamitatis. Quò autem dicendo erit exercitatior, eò tumultus exorientes facilius tranquillabit. Sic idem ille consiliarius magno erit usui scripto vel voce responsionibus dandis, legatis vel oratoribus externis, qui negotia tractatum ad ejus Principem allegantur. Hoc autem modo idoneum, ipsâ experientia duce, suum cognoscet Princeps consiliarium: Primùm quidem ratione verborum, cùm acutè observabit, quomodo animi profert sensa in collocutione familiari. Accerset nimirum ad se ipsum, & per horam unam cum eo sermones miscebit, in sequenti per

duas,

duas, per tres; tertia, plus vel minus. Interim recitare eum etiam faciet historias, ut videat, quo pacto protrahit & includit ductum ipsum materiæ: quomodo proponit, quomodo dividit, quomodo prosequitur, & quo pacto tandem etiam terminat & definit, qua porrò cum venustate, gravitate & proprietate verborum. Quæ etiam ipsa interdum cognoveris à consiliarii magistro & præceptore, tum quantum in iis studiis posuerit temporis, qua diligentia usus sit, & si fortè aliquid in lucem monumentorum edidit, illa omnino examinanda erunt diligenter. Postremò & in palatii ipsius penetralibus, nec quidem opinantem scribere aliquid de aliqua re curabit ipse Princeps ex tempore, ut re oculis subjecta, incorruptius de eo fiat judicium, & penitius cognoscatur. Tertium adjumentum, quod idoneum monstret consiliarium, multarum linguarum est cognitio: præcipuè autem illarum gentium, quibus imperat Princeps, vel qui hostes, sociivè ejus habentur. Exempli gratia: Sit unus aliquis consiliarius Regis Hispaniæ &c. Hunc quidem, Latinæ, Italicæ, Arabicæ, Gallicæ & Germanicæ linguæ non ignarum esse expedit, propterea quòd ii, qui subjiciuntur ipsi populi, intelligere eorum sermonem, & ab ipsis rursus volunt intelligi, propter multas & varias inter se tractationes: *exactius quippè sua ipsius sensa homo explicat, & cum majori auditur gratia ab iis,*

Linguarum cognitor.

ab iis, qui eâdem lingua utuntur, quàm si semper & ubique interpretes adhiberentur. Hinc & suos casus ærumnasque narrare, & magnorum Principum (quod sæpè usu venit) arcana pro se quisque tali consiliario non dubitabit potius enunciare. Declinat non raro tertium, quem noluerit esse conscium secretorum. Legationibus item vicinorum audiendis, tam ratione officii quàm occasione ipsius belli, quantum idem afferet adjumenti? Si amicus aliquis est, multò magis suâ quàm alienâ linguâ in ore Consiliarii adinventâ delectatur. Quid & quod pollicebitur sibi ab animi quadam erga eum benevolentia id adeò proficisci? Qua in re, ut spe sua cadat, error ille ipsius non incommodabit, præsertim si inimicus fuerit, imò vel aliqua in parte illius conciliabitur favor, aut tandem id commodi subsequetur, quod ex sono ipsorum verborum, nostraque, ea proferendi, ex contractione frontis, & elevatione supercilii & alia re hostilis animus magis patebit, quàm si hæc omnia adhibitis fierent interpretibus, proprietate non intellecta sermonis. Adde, quod rarissimos interpretes reperias, qui usquequaque omnibus numeris absoluti videantur. Circumducunt demum, & implicant quàm plurima: venit postremò explorator, in cujus fide & dictis regni unius consistit nunc honos, nunc salus, & interdum res non patitur moram, eritne semper interpres tam inventu facilis?

lis? Quid si verò caveat exploratorem, aut ab ipso exploratore timeatur, ut tot tantaque præteream alia, quæ impedimento sunt, infinita? Iam & ille, qui multarum linguarum gnarus est, fidem omnibus facit, vidisse, legisse, audiisse se quàmplurima; & populorum, quibus cum versabatur, mores, consuetudines, & instituta didicisse. Quod apprimè consiliario est utile & necessarium, propter omnes res, quæ veniunt, aut venire possunt in consultationem. Prætereo verò alias causas & rationes, ne earum enumeratione sim molestus, cùm hæc nuda tantùm sit admonitio, omni ornatu & congerie detracta exemplorum. Hæc verò ipsâ experientiâ duce, in suo consiliario Princeps deprehendet, quoties eum coram seipso loqui & scribere faciet, & aliorum dictis, quæ (ut plerunque fit) fallacia esse solent, fidem non temere adhibebit. Quartum indicium idonei Consiliarii fuerit, In historiis admodum esse versatum, quas quidem ille, tam antiquas, quàm & recentes, accuratè leget, examinabit & evolvet. Maximè autem eas, quæ ad suos suique Principis spectant majores, & tum ejus hostium atque vicinorum. Etenim qui consiliarius magnus fuerit historicus, & qui fructum ex historiis elicere non ignorabit, is certè perfectissimus poterit æstimari. Nihil quippè in eo desideratur: in omnibus sui Principis negotiis est versatus & exercitatus, imò usus rerum & *Historicus.*

Historia laudatur. experientia est ipsa. Nam historiæ non aliud sunt, quàm congeries, seu congregatio quædam variorum & diversorum usuum, omnium hominum & temporum, cujuscunque tandem naturæ, professionis, & conditionis fuerint. Da mihi aliquem historicum perinsignem, qui fructum ex historiis elicere sciat: hic quidem tanta rerum in omni genere negotiorum pollebit experientia, quanta vix aliquis alter reperiatur, ut etiam illa ipsa sit ars, in qua viginti annorum spatio aliquis fuisset versatus & exercitatus. Atque, ut à re bellica exempla capiamus, Miles veteranus, sive ille summus belli dux, sive militum præfectus, sive alius fuerit, in fine & decursu annorum viginti, ad minimum in quatuor præliis versatus est; in centum verò levioribus conflictibus, in quinquaginta oppugnationibus, in duodecim assultibus, in quinque motibus belli, & totidem pacificationibus. Verus autem historicus habet experientiam immensarum pugnarum, innumerabilium conflictuum, infinitarum oppugnationum, infinitorum motuum belli & compositionum pacis. Quæ est ergo proportio finiti ad infinitum? Adde, quòd iste experiens annorum viginti, novit tantùm naturam & ingenium, & rationem bellandi unius aut alterius, aut etiam trium vel quatuor nationum: historicus verò propemodum omnium. Huc accedit, quòd viginti annorum experiens, non

potuit intellexisse eorum partem vel decimam, quæ munere, & nomine militiæ continentur. Nam in viginti annis non offeruntur æquè occasiones omnium usu & tractatione discendorum. Historicus contrà omnia scit & intelligit: & nihil, quod legi & in quæstionem venire potest, prætermittit. Ille, ut etiam viginti annis foris & militiæ se exercuerit, non potuit causas ipsius perspexisse universas, originem ejus, & quomodo processerit, & ad quem finem directa fuerit: ignorat stratagemata cuncta, eventus, difficultates: & despicatum, quem pati oportuit, non est assecutus: prætereunt eum utrinque prætensa postulata, utrinque profusæ lachrymæ, simulata & dissimulata utrinque multa; & nunc huic nunc illi parti in specie ostentata propensio voluntatis: postremò necessitas ipsa, qua ad pacificationem utrinque est deventum. Historicum horum latet prorsus nihil. Quod adeò instar animæ (ut ita dicam) belli ipsius est gerendi, & illud quasi quædam corporis particula. Quod autem de militia hoc loco affero, hoc de aliis omnibus negotiis, & ipsa etiam defensione dixero principatus. Quæ quidem omnia, si fusius à me explicarentur, viderer facere contra eam, quam aliàs sum pollicitus, brevitatem. Quare, ut verbo, quod sentio, complectar uno, vel ipsæ etiam leges nihil aliud sunt, quàm historia, quæ continet sententias & opi-

niones antiquorum & prudentium legislatorum, quibus urbes & civitates ordinârunt, & suos cives, juris & justitiæ æquabilitate, in tranquillitate & concordia conservârunt; & jam quidem demonstrant, quo pacto nos idem quoque faciamus. Et hoc ipso etiam modo medicina est experimentorum historia, quæ antiquitus observârunt Physici, quorum ratione nostri medici judicia ferunt, & curationes suas prosequuntur. Proinde instituenda Repub. gubernando Principatu, gerendo bello, tuendo imperio, amplificandis juribus, sequendo denique bono, & fugiendo malo, quid magis conducit quàm historia? Verùm similia intelligunt paucissimi: Quo fit, ut paucissimos etiam rectè gubernantes deprehendas; Quod non aliunde venit, nisi quòd legendis non occupantur historiis. Et si horum legit aliquis, fructum historiarum non percipit: varietate tantùm casuum, qui ea continentur, delectatur, & non considerat, quo pacto domi, forisque, in omnibus deliberationibus & consiliis, eos sibi proponendo, ipsi essent adjumento. Non est historia fallendi temporis causa, sed lucrandi, evolvenda gratia, ut una die perfectè quis discat, quod experiundo toto suæ vitæ tempore vix apprehendat. Nam etiamsi trecentos complere posset annos, aut malè, aut tardè id quod sequitur, assequeretur. Est historia imago vitæ relicta ex moribus

&

& ingeniis hominum, recordatio ingeniorum omnium, certa & infallibilis experientia actionum humanarum: consultrix fidelis & prudens in omni deliberatione, magistra in tranquillitate, in bello Dux, in mari nauclerus, portus & perfugium hominum cujuscunque conditionis. O quàm pulchrè hæc dicuntur, & tamen paucissimi similia amplectuntur! Sit igitur Consiliarius insignis historicus. Atque hoc potissimum volo, ut in eo Princeps spectet; & experientia ipsa Duce, eo modo assequatur. Sciscitetur inprimis res in historiis passim contentas, & inter alia diligenter ab eo perquirat, quoties Regna Hispanica (libet enim ejusdem nationis exemplis perstare,) aliquas subierunt mutationes: aut item Gallicum & Anglicum Regnum, à quibus porro fuêre possessa: & quo jure, quave justitia, quamdiu, & cur conversionem sint passa, qui ex quaque familia in iis regnaverunt: & in his, quis illustrior, & qui nominis minoris habebatur: eorum quot bella quisque gessit: quibus cum, & quo tempore: qua de causa, unde ortus inimicitiarum: & quæ ratio aut necessitas pacis rursus fuerit ineundæ. A mille quingentis annis, quot prælia confecit Hispania, & quot Gallia; & quanta hæc aut illa, secundâ vel adversâ fortuna: quibus denique consiliis & artibus, his vel illis cessit victoria: & cur nunc ab his, nunc ab illis infeli-

citer est dimicatum. Ab hinc bis mille annis, quantæ communiones sunt excitatæ in Hispaniis, Galliis, & Romæ: & quæ suscitandarum extitit causa: quid porro boni vel mali inde est subsecutum, & quomodo hæc omnia tandem fuerint tranquillata. Qui quidem ad has, earumque interrogationum similes rectè responderit, hunc tu historicum habeto optimum, qui pro re, & occasione in publicis deliberationibus suæ lectionis fructum egregium sortietur. Quintum adjumentum, quo aptus demonstretur, quoad quidem animum, consiliarius, est, ut benè & perfectè sciat finem & materiam, & quomodo, quando, quatenusque se extendunt ipsæ virtutes: nam in eo potissimùm peccatur: & si consiliarius ipse nititur multitudinis opinione, ista toto cælo, quod ajunt, semper errabit. Etenim earum rerum ignoratione, (ut plerumque fit) plurimi, ne dicam propemodum cuncti, hominem compositum meticulosum; astutum proditorem; rudem & ineptum, bonum; abjectum, mansuetum; desidem & subtiliorum rerum non capacem, hominem via Regia & simpliciter ambulantem appellant: iracundum porrò candidum; superbum magnificum; furiosum fortem; prodigum liberalem; avarum providum; sanctum superstitiosum; doctum curiosum, & omnibus denique tàm vitiis quàm virtutibus contrariis nominibus

Virtuosus. Prudens.

bus dandis, conscientia hominum aut saltem prudentiorum abutuntur. Quod maximum sanè est vitium: & si fortè illud consiliario inerit, (ut inesse oportebit, si autem nesciverit aut noluerit virtutum proprietates nosse) manifestus ipsius Principis, & totius Principatus est interitus. Caput namque est consilii, in omnibus iis, quæ in deliberationem veniunt, dispicere, si est, vel secus, contra honestatem, omnibus circumstantiis consideratis & expensis. Mandandis muneribus publicis hoc idem sciendum est, ne nigrum pro albo accipiatur. Iam & præmiis distribuendis, si hoc eodem illo destituatur adjumento, perpetuò hallucinabitur & impinget. Ac ut tandem faciam finem, hoc tale in consiliario lumen, volo, ut experientia ipsa duce, hac ratione Princeps deprehendat. Primùm quidem ex ipsius verbis, cùm eum ad hunc modum, aut perquiret similem, quot videlicet egeat homo rebus, ad culmen gloriæ in hac vita consequendum: quot & quibus rationibus utendum illi est, favore populi sibi conciliando: quibus interdum artibus, ut fides vulgò ei habeatur: quid denique moveat populum ad honorem alicui deferendum: quot viis & rationibus in fortitudinem peccatur: quot & quales res requirit justitia: & multa alia generis ejusdem, quibus judicium expiscabitur consiliarii haud sanè difficulter. Verùm & ab actionibus ipsius conjecturam

capiet, quos habuerit institutores sciscitando; quæ coluerit Gymnasia; quibus cum vixerit & vivat; quos libros legat; quid inde fructus in lucem proferat, & quibus rebus occupetur. Sextum est argumentum, quod idoneum arguat consiliarium, Vt sit Politicus. Hoc autem est, ut sit experiens in tractatione artium tam belli quàm pacis, & rerum, quæ eò spectāt, aliarum. Etenim cùm munus, & ceu quoddam Principis vinculum, duabus maximè contineatur rebus, Gubernatione, & Defensione populorum: & tam quidem unum, quàm alterum ad bellum pacemque referatur: (Quanquam gubernatio magis sit pacis; armorum verò defensio,) illis non intellectis, vix factu est credibile, boni aliquid consiliario posse præstare: Quocirca expediet, consiliarium nosse Rempub. hoc est, cœtum & congregationem hominum universam, vita communi sociatam, compositam (ut ita loquar) ex corpore & anima. Corporis nomine habitationes continentur. Quo loco cælum potissimum spectatur, si est calidum, frigidum, aut temperatum: situs, si est in continenti, si est mari proximus, si aliquod flumen, aut stagnum habet, si est declivis, aut verò sublimis, si siccus aut lutosus, si fertilis aut sterilis, si in vicinia, aut ab hostibus remotus, quibus denique ventis, ut plerunque fit, expositus. Nam harum rerum respectu & ratione habita, extruenda vel secus sunt

Politicus.

ædifi-

ædificia, & plateæ sive arctiores sive ampliores erigendæ: videndumque, num uni apertæ vento, & reclusæ ab alio: num altæ vel humiles habitationes: & omnia quidem ad usum utilitatemque publicam sunt dirigenda, dando iis magis convenientem formam, quæ videbitur expedire; sive illa rotunda, sive triangularis fuerit, sive etiam quadrata, aut multorum punctuum, prout ipsæ res, eorumque circumstantiæ magis requirent. Quarum rerum, quoniam non exacta est intelligentia, ideo multa ædificia casu fieri cernimus; & loca infirma aut malè dispartita, aut inepta reperiri quàm plurima, quæ indies tandem minus redduntur populata. At vidi ego ipse in multis publicis ædificiis impendisse viginti aut triginta aureorum numorum millia non neminem: Quam circumacto anno apparuit pecuniam pessimè fuisse collatam, propter non observatas superiùs dictas circumstantias. Quæ procul dubiò non essent, si consiliarii ejus partis Reipub. quam appello corpus, majorem usum & experientiam sibi adjumento compararent. Anima verò est gubernatio, quæ primùm in sua forma spectatur; si videlicet in unius administratione est posita, quem Regem appellamus. Ego interim voco Principem, qualis est in Hispania, Lusitania, & Regno Castellæ: aut si est Nobilium tantùm gubernatio, quemadmodum est Venetiis, & antiquitus Spartæ spectabatur: *Rerump. species diversæ.*

aut si est Populi, ut nostris temporibus sunt Helvetiorum urbes confœderaræ: vel si Regis & Nobilium est administratio, quale est Regnum Daniæ, & aliquando fuit Roma in suis Regibus usque ad Tarquinium: aut si Regis & Populi, quale fuit olim diu Regnum Persarum: aut si denique Nobilium & Plebejorum, qualis fuit Romæ, exactis Regibus, status; aut Athenis & apud Lacedæmonios, vel nostra ætate apud Senenses, & Florentinos, & quædam Respub. aliæ, quæ in hunc diem manent in Italia: aut si est gubernatio penes Regem, Nobiles, & plebejos, quale est imperium Germanicum, Regnum Poloniæ, & Regnum Arragoniæ in Hispaniis. Est & illud consiliarium necesse scire, quomodo acquiritur, crescit, augetur, & perditur principatus; quibus periculis est obnoxius; quomodo iis possit & debeat occurri, ne capiat detrimentum; quomodo & quibus est vinciendus legibus; qualibus eget magistratibus, ut rectè & scienter gubernetur. Consiliarius autem, qui hæc ignorat, factu est incredibile, ut disquirat & inveniat remedia omnibus & singulis rebus difficultatibusque Principatus. Nesciet denique opportuna suo Principi consilia suggerere: quo pacto cum hoc amico & socio illo vivendum illi est; quo pacto occurrendum hosti; & quomodo ab uno aliquid capiat commodi, effugiat ab altero damni, & alia his similia infinita. In altera

parte

parte politicæ expediet, bellica & militaria cuncta habere eum explorata: Vt nimirum intelligat, quibus præsidiis instructum esse oporteat militem; quibus Centurionem, quibus Ducem; quibus armis debent indui; quomodo colligendæ sunt copiæ, quomodo ductandæ, quomodo metanda castra, quomodo confligendum, quomodo canendum receptui, aut verò hostis fugiens persequendus. Et in his omnibus, à recta via & tramite quo pacto etiam aliquando aberratur. Nam alio modo nescio, quid daturus consilii sit ipse consiliarius: & hunc necessariò magnum politicum esse oportet: Quo nomine, num idoneus sit, ipsâ Duce experientiâ, hoc modo Princeps in eo perspiciet: interrogabit ipsum nunc de hac, nunc verò de illa re ad gubernationem pertinente: num præstet, in sterili an fertili solo ædificare: quibus porrò ventis in habitatione est obsistendum: quot modis amittitur Principatus: quot viis negotium inficitur gubernandi: quomodo populi oriuntur seditiones, & quot modis vicissim opprimuntur: in quo consistunt Principis vires, si in divitiis, vel virtute militum: quot modis cum colore & prætextu aliquo contra eum arma capias, qui adeò nullam magnam causam hostilitatis præbuisset: quid postremò, præstetne expectare adventantem domi, an in hostico aggredi hostem: quot res expediat considerâsse prius, quàm ad arma & bellum apertum venia-

veniatur: quot demum exorto bello, quot antè & confecto prælio, sive vincas sive vincare. Ex his, & aliis ad interrogata consiliarii responsionibus, quàm bonus politicus sit, & haberi possit, conjectura demum capietur. Septimum verò adjumentum, quod eum aptum, quoad animum declaret, illud habeto, si nimirum multorum

Populorum mores videat, & urbes.

populorum viderit mores & urbes, maximè Principis sui, atque ejus hostium, aut etiam sociorum, aut qui omninò Principi sunt viciniores. Et quidem curiosa & prudens debebit esse ista peregrinatio, non ignava aut iners, qualis ociosorum & vagabundorum esse consuevit: qui non secus, ac in nundinis pascentes tantùm oculos, divagantur.

Peregrinatio.

Peregrinatio, quæ propriè ad consiliarium spectat, ejusmodi est, ut omnia, quæ ad bellum pacemve pertinent, exactè exploret: ordinarios & extraordinarios proventus sciat: amorem, & erga Principem subjectorum reverentiam, omnia denique tam bona quàm mala, munitiones fortes, hominum mores & ingenia, & id genus alia penitus habeat explorata. Eo quippè prudentia comparatur, & homo locupletatus & consideratus domum suam redit, multúmque conquirit suppellectilis pro consilio dando, & Principis sui augendo imperio, omni loco, tempore & occasione. Secus verò qui facit, tempus inutiliter terit, facultates dilapidat, corpus affligit, & vitam suam mille exponit periculis,

riculis, sine spe profectûs alicujus. Narratum mihi est aliquando de Principe Neapoleos quodam, homine alioqui considerato, quid cuidam nepoti responderit suo, qui potestatem sibi ab eo fieri, ut excurrere, & exteros videre posset, postulaverat. Primum quidem, ut Romam proficisceretur, dixit; demum tandem rediret: atque si ita videretur, denuo iter ingrederetur. Paruit, & fecit ita adolescens: & cùm Princeps ipsius tarditatem animadvertisset, cujus gratia exiguos profectus fecisse videbatur, ad eum modum illum est allocutus: Fili mi, tu vidisti, inquit, prata, planiciem, montes, colles, valles, agros consitos vastos, & inanes sylvas, pinnas, fontes, rivulos, arbores, pagos, villas, urbes, quadrupedes, viros, & mulieres. Non est amplius, quod in mundo spectes: proinde quiesce, & domi tuæ te contineto. Egregiè verò hic tantus & dixit & sensit vir: hoc ejuscemodi casu & nobis quasi quandam peregrinandi regulam præscripsit, & tacito quodam modo abusum communem reprehendit. Consiliarius interim, posteaquàm, ut par est, peregrinatus fuerit accuratè & scienter extra regna, hæc & illa perlustrando, & omnia cum suo comparando, hunc referet fructum, quòd omnia mala & bona, quæ domi sunt suæ, faciliùs assequetur, & usum atque intelligentiam meliorum tandem sibi comparabit: fugiet verò contraria: & moris corri-

corrigendi auctor erit depravati, & introducendi probatioris. Iam neque expers erit humanè & scienter excipiendorum hospitum, amicorum & inimicorum, aut qui neutrarum sunt partium: melius intelliget conditiones: & quemadmodum negotia poscent, sciet se accommodare verbis, scripto, & factis, ad ea, quæ tam illorum, quàm ipsius temporis, & Principis necessitas postulabit. Non denique opportunitates & difficultates temporum & regionum ipsum effugient, falsis narrationibus non ducet concilium, aut saltem alieno decerpendo pilo non admodum se exornabit. Tale lumen sive præsidium animi, experientia Duce, Princeps in consiliario sic investigabit: Nempè quæret ex eo, quot milliaribus in longitudinem constat Gallia, quot verò in latitudinem, quot in circuitu: quas munitiones habet firmiores: à qua parte est facilior aditu: quot flumina habet, quæ vado transiri nequeant: qua virtute excellunt magis Galli, & quo vitio magis laborant: quibus rebus maximè tenentur & capiuntur: quod inter Gallicam & Hispanicam nobilitatem est discrimen: quæ differentia inter nostram & illorum ædificandi rationem: quis horum regum magis imperat absolutè: qua via suo Regi resistit populus, & non pro libito agere semper ipsum permittit: quot rebus noster à suo vasallus differt: quomodo suum exercitum colligit: quomodo instruit & exerci-

exercitat: quomodo in expeditione providet bellica, ne coloni opprimantur. Iam verò, quod de uno populo, hoc de reliquis omnibus, hunc eundem interrogatum volo consiliarium: & hoc quod de Galliis & Hispaniis posui exemplum, pro se quisque Principum transferet ad exempla alia, suo principatui magis accommodata. Sicuti faciet & in reliquis omnibus, quæ toto hoc opere continentur. Sufficiat tantùm dixisse, hanc esse certam & veram regulam, profectus peregrinantium cognoscendi. Quamquam vel in familiari convictu & confabulatione multa deprehendas similia, demptis etiam interrogationibus, ut videlicet, si statim aliena vituperat, sua verò laudat. Animi enim id est argumentum impotentiæ, & talem aut inertem, aut dissolutum, aut fatuum esse oportet. Nam in talem hominem non rerum cadit distinctio, non delectus, sine quo nulla est prudentia; qua demum exclusa, nihil restat quod probari posse videatur. Octavum animi adjumentum est consiliarii, ut exactè vires, & potentiam sui Principis sciat, & tam hostium quàm sociorum illius aut etiam vicinorum. Nam ut medicus in humano corpore temperamentum & virtutem, quanta sit, naturalem, primum est quod considerat; hoc eodem modo quantæ sint, & quo se extendant principis sui vires, ejusque hostium & sociorum, scire consiliarium expedit; alioquin consilio dando

Principis sui potentiam, sociorum & hostium, sciat.

dando vehementer à scopo aberrabit. Harum rerum ignoratione consiliariorum multi, Principibus suis fiunt belli contra eos movendi auctores, quibus cum colere pacem multò magis præstitisset. Et idem rursus evenit, ineunda cum aliis societate, cùm in perpetuis tenebris sine ulla luce & claritate versantur. Bonus autem consiliarius utramque partem expiscatur, tam Principis ipsius, quàm ejus hostium & sociorum: Quibus proventibus gaudeat: unde eos promat: quo denique modo & tempore, quantumque conscribi possunt milites: quàm diu alere, quomodo armati & exercitati sunt, & quæ capita sortiuntur: qui socii eorum sint, quibus nitantur clientelis, quàm debilibus, aut firmis; quibus rebus in regione sua abundant, & quibus destituuntur, ut hoc modo colligi & expendi vires possint & potentia Principis uniuscujusque. Hoc verò adjumentum sic perspiciet Princeps in suo consiliario: de his nimirum rebus, de quibus jam dixi, diligentiùs eum examinando. Est hæc omninò generalis & infallibilis regula. Etenim quicunque tandem mortalium in dictis & factis suis hostes sui Principis aspernatur; sua verò extollit, & suspicit ipsum, hic nequidem consiliarii nomine dignus est judicandus. Quòd si in scientia labitur, quàm sit idoneus, vel hoc ipso reddit testatum, cùm consiliarium prudentissimum esse, & ea, quæ præ manibus sunt, nosse

&

& intelligere necesse sit: si hypocrisia facit, est assentator, & nihil ab eo expectandum boni: suis namque tantùm servit cupiditatibus, & ad Principis loquitur placitum, non ad commodum, aut verò dignitatem. Nonum præsidium, quod aptum ostendat consiliarium, habetur, Vt non solùm amet, sed etiam procuret commoda publica: sui autem commodi & splendoris obliviscatur. Ita quidem, ut ubicunque juvare possit Rempub., in eo animi sui intendat vires, & omnem operam atque industriam ponat. Quanquam interim in fama, bonisque & fortunis privatis damni aliquid ei esset subeundum. Et hoc videlicet adjumentum est præcipuum, quod commendat Plato in Consiliario, sive in quolibet altero Reipub. rectore, & gubernatore. Est enim illud certum, quod verus amor semper est sollicitus & diligens, sollicitudo autem nunquam quiescit, omnia rimatur, omnia pervestigat, nullius rei obliviscitur, & omnibus semper providet, quæ necessaria arbitratur. Quocirca amor, primum & præcipuum Consiliarii est adjumentum, inter alia universa: Qui, si verus fuerit, procurabit bonum publicum quàm privatum magis, quippè omnem suam spem, omne emolumentum, omnem honorem in publicis ponit commodis & ornamentis: Quibus si quid ornamenti auferatur, necesse erit & privatas res tandem perire: & ideo & ipsum se, & bona sua desiderant

Publica commoda procuret, sui oblitus.

zant

rant potius pati aliquid, quàm rem publicam venire in discrimen. Interim autem dum his rebus occupatur, parva crescunt, parta conservantur, & vivitur sine aliquo incommodo aut difficultate, & secus contraria experimur. Quæ ipsa patent ex omnibus mundi historiis: & nullum imperium in hunc usque diem auxit magnopere vires, aut in auctis se conservavit, quàm hominibus hoc nono, de quo tractamus, adjumento præditis & exornatis. Ex adversus illa ipsa die, qua ab hominibus contrariarum partium & artium gubernari sunt cœpta, continuò usque ad extremam perrexerunt semper ruinam. Quo loco exempla duo reperio. Quibus citandis, ut contrarium agere videar, quam sæpius professus & pollicitus sum, brevitati, tamen cùm rara & doctrinæ sint plena, merebor fortassè excusationem, præsertim cùm magnorum Principum exemplis citandis magni errores raró committantur. Callicratides bello Peloponnesiaco, Lacedæmoniorum Dux, cùm classem suam, si tantum Arginusis discessisset, servare potuisset, facere id noluit, affirmans, quòd Lacedæmonii amissa classe aliam parare possent, se discedentem ignominiâ liberare non possent. Vnde cùm postea initum esset prælium, fusus est turpiter, & ipsa classis demersa, & Lacedæmonii memorabilem cladem perpessi. Cui omnia ex opposito

Callicratides. error ejus.

sito Q. egit Fabius, Dux Romanus, & patienter injurias sui proprii exercitûs suorumque æmulorum perferendo, qui eum appellabant tardum, & habebant desperatum, ita postea Hannibalem fatigavit, & redegit in nihilum, ut fuerit haud dubiè auctor & conservator patriæ libertatis, interitus verò causa Carthaginensis. Vnde Magnus ille Poëta de ipso canit Ennius: Vnus homo nobis cunctando restituit rem. *Q. Fabius laudatur.*

Callicratides ne semel quidem referre pedem voluit, ne ullam vel minimam jacturam existimationis suæ pateretur; Fabius se recepit, & dedit fugam sæpius, nihil respectans hac in parte existimationem: Quo ipso magnoperè juvit Rempub. Callicratides voluit potius cum periculo conserere manus, quàm famam suam adducere in discrimen; Fabius potius cùm infamia fugere habuit, (loquor juxta opiniones inscientium,) quàm committere rem prælio cum omnium exitio. Callicratides subiit aleam pugnæ, victus est, nocuitque per id patriæ, imò & honori atque famæ suæ, nomen in morte temerarii relinquendo; Fabius semper prælium vitavit, & ideo patriam conservavit. Quo postmodum tantum laudis meruit, ut Maximi etiam appellationem sortiretur.

Quapropter quod in magnis rebus & deliberationibus volo servatum, hoc idem in minoribus, aut verò in mediocribus. Consiliarii autem discant, quæ & qualia Principi

Principi suo consilia suggerere in omnibus publicis negotiis debeant. Et Principes vicissim observent diligenter, num hoc adjumentum nonum eorum habeant Consiliarii. Quod quidem cognoscent hac ipsa ratione: Fingant, se petere ab ipsis consilium in rebus, quæ bono publico prorsus fuerint contrariæ, causati, quòd quanquam re ipsa essent ejuscemodi, nihilominus tamen expedire Principi, ut interim perfruantur. Verbi gratia: violare leges veteres, maxima civium privilegia, imponere gravia tributa populis, & his similia. Et mox ex ipsius consiliarii responsionibus, quo animo sit in Remp. facilè cognoscetur. Alias interim vias & rationes, quibus hæc eadem ex dictis factisque Consiliarii pervestigare liceat, prudens prætereo, partim quòd intellectu difficiles non fuerint, partim quòd forsitan, sed & certissimè, alios pungerent. Atque ideo qui habet aures audiendi, audiat. Regula illa certa & sine ulla est exceptione, quòd *omnis avarus & hypocrita est boni publici hostis*; & adeò etiam illi ipsi, qui omnia dicunt esse Regis, & quòd Regi fas sit pro libito omnia gerere, & tributa imponere quotquot sibi placuerint: & adhuc quòd Rex nunquam potest à recta via aberrare. Adjumentum decimum est, quod idoneum facit consiliarium, ut totum & integrum corpus curet ipsius Principatus, ne curanda parte una relinquat alteram: Quod esset

Totum corpus curet principatus.

esset instar medici illius, qui remedium afferendo uni membro, causa destructionis est aliorum. Proinde integer consiliarius ita sit compositus, ut prorsus se spoliet omnibus commodis amicitiæ, agnationibus, personarum acceptatione, factionibus, & aliis quibuscunque respectibus: & vestiat se firma & prudenti bonitate, quæ nec scit, neque potest, neque vult, nisi virtuti & justitiæ patrocinari. Hanc accipit pro suo sanguine, pro sua agnatione, pro sua amicitia & necessitudine: hanc unam revereatur, & aliud præterea nihil. Ad eum modum oportebit ipsum, cunctorum consiliarium, audire omnes, & propendere animo & voluntate in universos, sine aliquo vel minimo alicujus discrimine: nisi quantum ratio seu virtus pro se uniuscujusque plus vel minus postulabit. Est bonus & virtute aliquis præstans, & quàmlibet etiam non sit, petit justam rem, & sit quo velit tandem genere, aut ortu, inter Garamantas & Indos natus; hic verò talis est ejusdem nationis, ejusdem provinciæ, ejusdem civitatis, ejusdem factionis, ejusdem agnationis, ejusdem familiæ & sanguinis, cum ipsó consiliario: & ut tali, oportet favere ipsi consiliario, cum omni charitate, viribus & diligentia. Est alter malus homo, vel etiamsi malus non sit, petit tamen iniquam rem, & fortassis est propinquus, amicus, aut cognatus ipsius consiliarii; hic verò nec est nationis, neque

est provinciæ, neque amicorum, neque cognationis ipsius consiliarii: atque ideo non solùm non debet consiliarius patrocinari ipsi, sed adeò etiam eum reprehendere atque mulctare. Nam aliud est agere publicam, & aliud privatam personam.

Duæ in mundo regiones. Non sunt nisi duæ in mundo regiones, Bonorum quidem una, Malorum altera. *Boni.* Omnes boni, licèt Indi, Mauri, gentiles, Christiani, aut alterius sint sectæ, certè ejusdem sunt urbis, ejusdem familiæ, ejusdem sanguinis & agnationis. *Mali.* Et cuncti rursus mali in contrarium numerum sunt, & erunt referendi. Sed interim tamen ut observetur, æqua lance ponderata prius re, amicus, agnatus, vicinus, ejusdemque urbis aut nationis, ne exteriore sit inferior. Hoc enim volunt divinæ & humanæ leges, ut potiorem istorum habeamus rationem, quàm illorum, qui fortè à nobis sunt remotiores: verùm prævalente interim externo, quàm omnes propinqui & affines, primo loco habeatur. Itaque inter multa alia, hoc etiam, de quo loquor, ipsum, magnum est consiliarii adjumentum. Quod experientia duce sic Princeps cognoscet: Primùm quidem, si petit aut comparat amicis suis peculia, aut sociis, aut cognatis, aut familiaribus, & id genus aliis, etiamsi minus id meruerint, diligenter perquiret: aut si eorum causa, illorum beneficiorum digniores, quo minus illa impetrâssent, impedivit. Nam qui hæc

facit,

facit, peccat in hoc decimum consiliarii adjumentum. Idem ex ipsius animo & benevolentia, qua in hunc, qua in alium propendet magis, exactè etiam cognoscetur. Aut si aucupando favorem procerum, odium sibi conflat nobilium: vel si rursus his sibi adjungendis populo est injurius & infestus. Multi ordinem & statum complectuntur Ecclesiasticum, & cum injuria aliorum adjuvando ipsum, sæpè in Regno causa sunt seditionum. Tales aliquando periculo non carent consiliarii, & destruunt non raro principatum. Quo magis consiliarius nulla ratione, qui (quod vulgò dicunt) caput est partium, admittendus est: aut qui gerit apertas cum aliquo regno, seu provincia, aut urbe, inimicitias, ejus Principis, cujus agere debet consiliarium. Omnes namque homines sumus, & talem conscientiam habemus, ut cùm fieri possit, & gubernaculis rerum potiamur, non videamur prætermissuri, cum aliqua æquitatis specie perturbationibus animi nostri indulgere, & armis publicis privatam prosequi ultionem, & denique quod oppressi non contra consiliarium, eorum adversarium, sed contra ipsum Principem concipiunt odium, quasi ipse contrariarum partium caput; & promotione, eorum hostibus concedendo in eos potentiam, & auctoritate se constituerit. Hinc multos Principes interfectos fuisse proditoriè legimus, ipsius consiliarii, aut alterius mini-

ſtri odio, cui nimium princeps ille tribuebat. Vndecimum præſidium, quod, quoad animum idoneum faciat conſiliarium, eſt: ut bonus & juſtus ſit. Nam talis cupit, pro ſe quemque quod merita ipſius exigunt, ſemper referre, bonos videlicet præmia, & malos ſupplicia, & in utroque videt, ne peccet aliquo extremo, nevè benè meritis ea conferat præmia, quæ ſunt ſuperflua, aut rurſus exilia & modica, virtutique eorum minus reſpondentia. Et denique ne pœnas irroget eas, quæ crudeles aut admodum indulgentes videantur. Hic iſte talis homo eſt juſtus, eſt amator belli & pacis, juxta loci & temporis opportunitatem, & homo juſtus & fidelis, quod concilii ipſius eſt fundamentum. Talem ergo videmus ubique amari, cujuſcunque tandem conditionis, ſexus, ætatis, gentis & nationis fuerit; & is communiter ab omnibus optimus judicatur, ut revera (ut plerunque fit) eſt perfectus & abſolutus. Huic ſecurè bona, fortunas, conjuges, liberos, vitam, honoremque noſtrum concredimus; & *una omnium virtus eſt juſtitia*, ſine qua parum reliquæ valent; ipſa verò ſola ſe ipſam ſuſtentat. Itaque providebit Princeps diligenter, ut ipſius conſiliarius re & veritate ſit juſtus & bonus. Quod ipſum ſic in eo deprehendet. Oratio juſti habet in ſe pondus & gravitatem, contermina eſt virtuti, & loquitur veritatem: talis præſens & abſens eſt: idem

Bonus & juſtus.

in

in ore quod in pectore habet: in suis negotiis apertus est: mala animi, mansuetudine & charitate reprehendit: laudat, extollit bona: totus amor, totus dilectio est: & nec spe, neque metu sententiâ dimovetur, quo minus, id quod sentit, eloquatur: non petit, neque quærit aliquid amplius, quàm ipsius postulant opera: prosequitur benevolentia & patrocinio bonos, admonet verò & dehortatur ab instituto malos; & in omni denique re atque actione colit & tuetur æquitatem. Talis non est nec dici potest loquax: nihil extra propositum loquitur: non est mendax: non loquitur contra conscientiam: non aliud præsens, aliud absens profitetur: hypocrita non est, nec duplici corde, nec susurro. Nam præterquam, quòd non nisi in homines vilis & angusti animi cadit susurratio, est certum infidelitatis argumentum, cùm susurro in hanc usque diem nunquam fidelis sit repertus. Idem non aliorum mores aut vitia absentium reprehendit, cùm id coràm facere possit; nec unquam, quod ipse non vidisset, aut manibus non palpâsset, certò testificatur. At breviter nunquam talis aget assentatorem; ac nec audire quidem assentatores poterit, aut maledicos, aut susurrones. Opera justi facilia sunt cognitu: in pace & tranquillitate vivit: suo contentus est, laborioso genere vitæ sibi suisque peculii aliquid parare studet: domum habet benè moratam: familiares

Iusti opera.

modestos : vivit in luce hominum : æs dissolvit alienum: rixas & litium refugit controversias. Non potest verò ulla ratione esse justus, qui contentiones quærit, jurgia, pugnas, & partium inter se diffidia: non potest esse justus, qui suo non est contentus; sed quærit vias & occasiones per fas & nefas tam bonis quàm malis artibus ditescendi, & ut tam ipse quàm sui potentia augeantur. Non potest esse justus, qui die nocteque non invigilat, ut potiùs virtute ipsa duce & administra honoretur, & locupletetur. Non potest esse justus, qui cùm propter virtutem honoratus esse possit, negligit testimonium & mercedem virtutis. Nam hoc modo & sibi & suis est injurius; languidam reddit virtutem, & nocet admodum Reipub. Hoc nimirum congruit legi Divinæ, & præceptis omnium Philosophorum, ne admittatur illa turpis impostura hominum quorundam stultorum, qui sub specie cujusdam humilitatis, id, de quo ego admoneo, vocant ambitionem. Etenim propriè illorum dicitur *ambitio*, qui ut inepti & nulla virtute sint freti, unico tantùm favore aut patronorum, aut malis artibus innixi, fidenter petunt præ dignioribus se, conditionem meliorem. Qui autem sua virtute, scientia, sudore, vult honorari, & opibus augeri, hic est justus, est magnanimus, est generosus: & si fortè non petit debitum virtutis suæ testimonium, tum est injustus, est vilis,
&

& pusillanimus. Ad propositum autem ut redeam: erit aliquis, qui malè moratam suam habuerit domum, pueros & familiares dissolutos & protervos, qui vivit sudoribus alienis, qui debita contrahit, qui delectatur litibus & tumultibus, qui interfector crudelis & ingratus existit; hic quidem justus dici vel haberi nullo pacto potest.

Duodecimum adjumentum consiliarii est, ut sit largus & liberalis. Namque populus largitione maximè delectatur, & hanc unam amat & veneratur: *avarum contrà aversantur universi.* Qui ut cupiditatibus satisfaciat suis, omnia habet venalia: nihil sine aliqua commodi spe loquitur: & à quo non aliquid aliquando speret, admittit ad se neminem; & ita suas apertas tenet cuilibet proditioni fores, modò fiat, se tantùm salvo. Qui dum in concilio est, alienorum bonorum, jurene an injustitia, non curat, expilandorum præstat se auctorem, ut tantùm partem aliquam eorum ipse etiam sortiatur. Vnde gravissima & periculosissima quæque in Principatu oriuntur. *Decoctor verò & prodigus sensim absumit semetipsum; & posteà decem millibus errorum est obnoxius:* & inde splendor & existimatio ejus imminuuntur, & hoc in majores adhuc labyrinthos ruit. Expedit igitur, ut consiliarius sit largus & liberalis, & ut media via inter hæc duo insistat extrema. Quod quidem consiliarii *Largus & liberalis.*

adjumentum sic princeps assequetur liberalis: Pauperum, virginum & viduarum juvat connubia: egentioribus subvenit: captos redimit: honestorum suorum amicorum æs alienum dissolvit, & viris ingenio & intelligentia rerum præstantibus omni ratione auxiliatur. Quod ipsum magnum argumentum in Rempub. ipsius e-
Prodigus. rit voluntatis. Prodigus porrò in immoderatis & plurimis epulis cognoscitur præbendis & subministrandis, in superbo & luxurioso vestitu, in hastiludiis & choreis, in venationibus, in histrionibus alendis, & adolescentibus sine aliqua necessitate, & in rebus aliis generis ejusdem, in quibus nec modus neque observatur tempus, ne-
Avarus. que ipsum discrimen. Avarus verò vel eo agnoscitur ipso, quòd sordidè vivit, & tàm in vestitu quàm domi suæ plena sunt omnia mendicitatis. Qui denique magis ipsum se, quàm Principem respicit suum, & omnia omnium actionum suarum refert ad privatum emolumentum. Iam verò & petax perpetuò est; & nihil ferè aliud agit, quàm supplices libellos perpetuò porrigit, & urget sua & suorum. In quo magnum committit errorem, cùm is, qui consiliarium agit Principis, oblivisci quasi deberet sui, dirigere autem omnia ad commoda sui Principis, & nominis immortalitatem. E contrario autem, ut concilium suum bonum, candidum, & providum Princeps retineat, vicissim in eo omnem curam

curam & solicitudinem suam ponat, ut consiliarios quàm maximè honoratos, & opibus dignitatéque efficiat auctos, cùm credibile sit, omnes & singulos, in Principe suo juvando laboraturos, à quo divitias, amplitudinem, salutem denique suam pendere intuentur. Tredecimum consiliarii adjumentum est, ut beneficus sit: hoc autem est amicus benefaciendi. Quam virtutem Latini dixerunt beneficentiam: & non refertur, neque consistit in prædiorum aut pecuniæ donatione, sicut ipsa liberalitas; sed in adjuvanda Repub. & utilitate communi & ejusdem membrorum, admonendo, laudando, vituperando, reprehendendo, consolando, vires & robur adaugendo, providendo, favore & auctoritate prosequendo non modò eos qui id postulent, sed qui adeò etiam videantur meruisse, etiamsi nihil petant omninò. Itáque homo beneficus, videns vias regias, fontes, flumina, pontes, & alias res publicas aut extruendas, aut meliores faciendas, ponit in eo omnem suam operam apud Principem & omnes suos ministros, ut efficiantur alia: quæ sunt malè facta, ut diruantur aut reficiantur & efficiantur. Hic porrigit manum lapsis, erectos facit ire, euntes currere, currentes gradum sistere in lætitia & animi tranquillitate. Hic in aula Principis inanimat semper aliquid agentes præclarè, facit eos cognosci, in Principis deducit notitiam, & aliquid pro ipsis impetrat stipen- *Beneficus.*

dii, aut mercedis: denique omnes omni adjuvat ratione, qui laborioso genere vitæ ad decus & gloriam solent contendere. Et rursus eos dejicit, qui malis artibus ad opes dignitatésque connituntur. Idem ille malis judicibus obstat, & operam bonis legibus promulgandis navat, quas easdem vult strictissimè observari. Postremò, qui habet illam virtutem, est patronus justitiæ, est defensor populi, est magister nobilitatis & nauclerus consilii, est pater patriæ, est honos Principis, & quasi alter in terra Deus. Nam damnum facere pro se quisque faciliùs potest: Tali verò eminere virtute, instar est divinitatis. Quocirca, ut dicendi finem faciam, consiliarius hanc virtutem debet maximè profiteri, & re ipsa exercere: Quæ quomodo cognosci à Principe in ipso debeat, ex iis, quæ de beneficentia sunt allata, non admodum difficilis res est intellectu. Quatuordecimum adjumentum, quod aptum ostendat consiliarium, est illud, ut mansuetus & affabilis sit: nam hic aditum magnis æquè & parvis, pauperibus & divitibus ad se præstat: omnes læta accipit fronte, audit omnium postulata attentè, respondet benevolè, promissis stat cum gravitate, negat sine morositate, reprehendit absque injuria, expedit absque superbia: ita nimirum, qui aliquid præmii aut beneficii à principe sortiuntur, rem verbis amplificant, & millies magis, quàm per se est ipsa, laudibus in cælum efferunt.

Affabilis.

efferunt. Qui verò id, quod petivit, non obtinuit, saltem in ipsius consiliarii mansuetudine acquiescit, & aliqua ex parte læto ejus aspectu, suavibus responsionibus, ejus candido pectore, est contentus. Quæ ipsæ res ad eum modum sunt comparatæ, ut generosi animi magis aliquando iis, quàm vel ipsis opibus & divitiis capiantur. Sic legimus & audimus quotidie multos inductos fuisse, ut bona & facultates, vitam denique perderent ipsam, indignatione quadam potiùs, quàm vel injuriis infinitis. Expedit igitur, ut consiliarius valvas suas apertas fieri cunctis patiatur, & non moveatur auditionibus: nemini etiam desperationis præbeat causam, si id, quod aliquis ab eo petit, præstare non potest; excuset id cum quadam affabilitate, quæ ipsi vel inprimis debet esse commendata. Hoc adjumentum sic Princeps cognoscet in suo consiliario: Affabilis homo, est jucundus, statim colligit se, & non est præproperans, circumspectè incedit, eleganter vestitur. Amicus est familiarium conventuum & collocutionum, partium non tenetur studio, cum omnibus omnium generum tractat hominibus, facit dicto factove injuriam nemini, prius rumpet caput alicui, quàm ut aliquid injurium ei loquatur. Est amicus acutè & quadam cum venustate dictorum, amat honestam libertatem, abhorret verò ab omni genere hypocriseos & simulationis. Ho-

Iracundus. mo interim præceps & iracundus, nulla ratione potest esse affabilis. Morosum & Melancolicum se ostendit: omnia illi molesta sunt: non admittit ad se petentes facilè: audit & loquitur paucissima, & malo tandem fine terminat cuncta: patientissimum etiam quemque fatigat & offendit, & omnia ab eo pessum eunt negotia: inimicitiarum inter suum Principem & subjectos est ceu quædam seges & materia perpetua. In quem eundem errorem seu vitium incurrit arrogans & superbus, qui omnes ad consiliarii munus prorsus inutiles habentur. Quintumdecimum & ultimum, quod idoneum testatum faciat consiliarium, est adjumentum, ut sit fortis, & ista quidem non *Fortis.* est corporis ipsius fortitudo, propter quam nonnulli heroës appellantur, quasi plus quàm ipsi homines. Nam hæc corporalis etiam inter bajulos, vel corpulones reperitur, qui vitam suam pro quatuor regalibus argenteis venalem non inviti exponunt. Sed nimirum illa, de qua mihi institutus est sermo, non nisi in studiosissimis est veritatis fortitudo, & qui manibus pedibusque semper illam tuentur, nec ullum vel minimum hac in parte respectum retinent personarum. Qua defendenda pro nihilo ducunt ea, quæ alii maximoperè admirantur; videlicet, habere familiaritatem cum Principe, aut secus: lætari, vel non: ejus patrocinio &

pau-

paupertatem aut divitias consequi: habere dominatum vel subjectionem: laborem aut requiem: vitam vel mortem, & tam cum prospera, quàm cum adversa fortuna colluctari, unaque & altera æquè esse contentum. Nulla autem in aulis domibusque Principum pestis est capitalior, quàm quòd rarissimus cultus & studium in hominibus est veritatis. Quam ut aliquando in apertum proferri necesse sit, adornatur nihilominus blanditiis & lenocinio verborum, sic ut difficillimè dignosci queat ab ea, quæ omnium odiosissima nocentissimaque est falsitate. Verè & acutè quidam dixit Philosophus: Vnam tantùm rem Principibus cognitam esse, ut videlicet benè equo insideant, reliqua non admodum esse perspecta. Etenim cùm nesciat assentari equus, sine ullo respectu personarum æquè excutit regem, ac quemlibet alium inferiorem: Quo ipso innuebat assentatorem, & quàm parum Principes delectarentur veritate. Quocirca consiliarius fortis non solùm vera ipse Principi loquetur, sed amovebit etiam eos, qui ipsius judicium assentatione atque mendacio adulterant. In quocunque tandem statu fortunæ, & tam bonorum, oppidorum & regionum, quàm etiam conjugum & liberorum amissione, ipsius etiam famæ & aliarum rerum jactura, est fortis & penè immobilis, non turbatur: est sui ipsius & rationis dominus, & propterea potest statim præcurrere & providere

rebus, quæ ad sui Principis spectant dignitatem. Audire, loqui, respondere, præcipere, animare, erigere, tam Principem ipsum, quàm ejus populum potest sine retardatione. Iam & illud perspicuum est, quòd talis non à ratione, non à fide, non à sui Principis amovebitur amore, auro, amicitia, prece, vel precio, nec ulla vi, aut aliqua re, quæ in hac naturæ nostræ reperitur mortalitate. Quod quidem adjumentum sic cognoscet princeps in consiliario. Vir fortis cultor est & amator veritatis: hostis verò assentationis, non optimè omnium illi constat cum jocosis, non variatur conditione, odio magno habet susurrones, non ridet, liberè loquitur, non est superstitiosus, dicta ipsius habent pondus: peræquè Principi ac cuipiam alteri suam aperit sententiam, nec scit vel tantillum dissimulare. Interim ab amicis hypocritarum & assentatorum, & qui occultant veritatem, caveant sibi Principes, caveant à consiliario, qui se dedit pecuniæ; non modo suæ libertatis, sed & alienæ is aget venditorem: caveant à consiliario, qui bonorum, conjugum, aut liberorum interitum ad lachrymas usque prosequitur, lamentatur; qui se ipsum conficit, & magnitudine doloris agitur aliquando in furorem. Nam ejusmodi non est fortis, sed potiùs effœminatus & prorsus ineptus, qui consilio adhibeatur. Atque hic quidem finiunt adjumenta quindecim, quæ bonum

&

& idoneum testatum faciunt consiliarium, si animum ejus intueamur. Qua ipsa in re diligens fiat inquisitio, ut omninò aptus appareat is, qui aggregari concilio debeat; & interim qui adjumenta omnia quindecim habuerit, aptissimus censeatur. Qui verò plus vel minus, eodem modo plus vel minus aptus omninò erit habendus. Illud autem certo certius futurum est, in quem supra dicta adjumenta concurrent universa, illum omninò rerum intelligentia assequendarum fore capacissimum, & rursus ab omnibus intelligendum; is haud dubio etiam sequetur bonum, & fugiet malum, & in omnibus tam consiliis quàm actionibus suis retinebit firmitatem. Nam eundem oportebit esse prudentem, bonum & fortem: bonus autem non fallit, & prudens non fallitur, fortis verò pervincit omnes difficultates. Idem ille amatur à populo, propter liberalitatem, beneficentiam, affabilitatem & conceptam de eo bonam existimationem. Hic habet in omnibus quæ dicit, & facit fidem: nam illis quidem nos nostraque credimus omnia, quos ea, quæ tractant, probè intelligere intuemur, & quos moderatè & justè imperare non ignoramus. Hic orbis totius judicio, omni præ cæteris honore est dignissimus. Nam res planè divina & admirabilis est ingenium, quòd tot diversarum artium & scientiarum sit capax. Hic harum in vita rerum contemptor est, & nihili du-
cit

cit ea, quæ alii tantopere admirantur, & in eo felicitatem suam omnem reponunt. Sic ut talis, quiscunque tandem fuerit, verè sit nobilis & honoratus, sit illustrissimus, sit excellentissimus, & sit adeò serenissimus, ut cum quibuscunque tandem orbis terræ Principibus possit conferri.

CAPUT III.

De adjumentis in Consiliario, ratione corporis.

HOMO quisque pro se, qualis, quantusque sit, & quantum adeò valeat, (ac quæcunque tandem alia res,) duobus maximè, experientia & conjectura, pervestigatur: Illa quidem major certiorque est, atque adeò etiam magis necessaria; quamobrem & principem occupare debet locum. Conjectura ducis instar & argumenti est, quæ ut vel nonnunquam fallat, sæpius tamen elucet ipsa, & confirmatur veritate, quo etiam contemnenda, & abjicienda est minus: quanquam non ut peræquè certa, secundarium locum obtineat, & ipsa experientiam proximè comitetur. Iuxta autem hanc institutionem, ut quo pacto idoneus eligendus sit consiliarius planum fiat. Primum quidem cognitum esse volo ab experientia, quæ in dictis factisque consistit uniuscujusque: quæ quoniam ab animo proficiscuntur duo, & sine

eo nec possunt, nec debent deprehendi, propterea hæc ipsius animi appellavi adjumenta, quæ quindecim his præsidiis, ut apparet, continentur. Sequitur jam porrò conjectura, quæ per quædam externa idoneum consiliarium reddit testatum, quæ est pars altera nostri de consiliario instituti sermonis, in quo ipso multum esse me, aut oratione non expedit divagari. Quantum videlicet ipsius adjumenta valeant corporis, & unde, & quomodo oriantur, & alias, quæ ultro citroque moveri possunt disceptationes, silentio prætereo: sufficietque scire, quod, quomodo prata, si sunt vel secus fertilia, equum bonum vel malum cognoscas: sic esse & notas quasdam hominibus ingenitas, & in ipsorum apparere corporibus, quæ plus vel minus idoneos, si vel adeò animum ipsum spectes, testificantur consiliarios. Qua de re verbis non utemur pluribus, sed ad ipsas notas, seu adjumenta corporis in consiliario demonstranda veniemus.

Primum adjumentum corporis, quod idoneum monstrat esse consiliarium, est, *ut non minus quàm triginta annos habeat, & non excedat sexaginta: nam intra triginta annos intellectus non usque quaque est tranquillus:* experientia verò est modica, arrogantia nimia, ardor gravis, cogitationes elatæ, infirmitas naturæ multiplex, neque eam, quam par est, retinere licet gravitatem, cui nec populus satis fidit, neque sine *Annus trigesimus.*

mur-

murmuratione eam prosequi permittit. *Cum autem ætatis annum sexagesimum fuerit prætervectus, amittit memoriam, vacillat intellectus ipsius, experientiam in obstinationem vertit, vigorem animi perdit, & elabi patitur sibi occasiones opportunas:* corpora denique necessariò enervantur senum, itinera non amplius facere possunt, & quasi quædam perpetua aulæ redduntur impedimenta. Quanquam interim non inficior, omnes regulas suas habere exceptiones, & infra trigesimum, atque etiam post sexagesimum ætatis annum, idoneos nonnullos huic muneri reperiri, paucos tamen illos, & tempore admodum rariore. Et ego de eo, quod magis certum & observatum est, loquor; quò magis intra triginta & sexaginta ætatis annos, consiliarios eligi judico oportere, utpote, qui (si fortè aliud quid non intercesserit,) totis triginta annis suam navare operam poterunt Reipub.; qui sicuti inter viride & sterile sunt medii, ita & animum magis habent temperatum, & sunt magis graves: pollent usu & experientia rerum, valent memoria, præstant vivacitate, natura ipsa eos corroborante, recto gaudent judicio, non laborant peræquè perturbationibus animi, nituntur ratione & consilio, imbecillitas non admodum est eis nocens, tuentur semper cum dignitate gravitatem, ire & redire non incommodè queunt, observat eos populus, & fidem ipsis habet, quam meritò debet. Ac po-

Annus sexagesimus.

Ac postremò non alterius ætatis suos eliget Princeps consiliarios, ut ii, qui infra hanc ætatem sunt, dent literis in gymnasiis operam, peregrinentur, exterorum mores & urbes videant, linguas discant, sequantur militiam & aulas, & omnia illa assequi conentur, quæ ego in hoc secundo capitulo comprehendi. Qui verò ætatis suæ sexagesimum supervenerint annum, domum redeant, quieti se dent, suas exonerent conscientias, & discant tempestivè mori. Quibus Princeps, quod aliquando olim Romani suis emeritis dabant, largiatur, ut videlicet honores, dignitates, & excellentiora privilegia, & annuos reditus, pro uniuscujusque meritis atque virtute. Secundum adjumētum, quod quoad corpus idoneum monstret consiliarium, quam vulgò appellant, complexio est; nam certa quædam temperamenta habentur, quæ naturâ aptos quosdam & illustres faciunt: & ex adversus ineptos & obscuros alios, qui ut etiam diu noctuque in eo, quod illis ingenitum est, emendando perpetuò elaborent, vix proficiunt aliquid aliquando. Illi verò priores exigua arte & diligentia nixi, quod volunt, assequuntur: & in horas redduntur aptiores. Ac proinde bonum consiliarium sanguineum aut cholericū, neque alterius complexionis arbitror esse oportere. Nam ut plerumque fit, istius, & non alrerius commixtionis, sunt ingeniosi: & habent præterea memoriæ satis, deque rebus rectè *Sanguineus.*

&

& scienter verba faciunt: clarum habent judicium, sunt justi & benigni, affabiles, candidi, magnifici, benefici, & magnanimi, natura fortes, corpore agiles, & vel minimum valetudinarii. Modus tales non est difficilis cognoscendi, præsertim cùm Principi non desint medici, quorum vel hac in parte consilio utatur. Videat autem inprimis, ne consilio suo phlegmaticum aut melancholicum adhibeat. Nam ad omne genus gubernationis ejusmodi ipsâ naturâ sunt inepti, præserrim si munere consiliariorum perfungantur. Etenim melancholicus, ut est natura siccus & frigidus, terrestris est, hoc est, ejusdem quæ & terra complexionis: itaque humi semper repit, & vix à terra elevatur: est morosus, tristis, sordidus, vanus, expers, & quasi hostis illustrium cogitationum, malitiosus, & ceu quodam veneno vas plenum, est superstitiosus; sic ut hujus complexionis homines religionem suis somniis & ociosis quæstionibus corruperint. Hic idem aliqua ex parte est & suspitiosus: & quo magis se nescit, eo minus habet intellectus: ipsa est invidia, statim excandescit, & manus temerè conferit, perpetuoque jurgatur, ac denique infinitis contumeliis, & jaciendis in alios maledictis est injurius quàmplurimis. Quid multa? melancholici Saturno sunt subjecti. Mira autem est res, quantopere philosophi omnes saturninos aversentur; sic ut certum habeatur,

Melancholicus.

Apol-

Apollonium Thyaneum Ephesi melancholicum quendam invenisse, qui sua sola præsentia urbem totam corruperat, unde postea pestilentiæ lues gravissima est sequuta. Phlegmaticus porrò est turpis, tardus, simplex, ignarus, neque ulla in eo reperitur virtus, sed omnes sunt minores quàm vel mediocres. Tertium adjumentum, quod consiliarii ostendat virtutem quoad corpus, ipsa corporis est habitudo, quæ omnium optima, si mediocris fuerit, semper habetur; nam hac in parte extrema omninò sunt vitiosa, & adimunt, quæ ejus est anima, consiliario autoritatem. Proceræ namque admodum staturæ aliquem omnes astrologi non bene esse compactum testificantur; & sic demum rarò esse affirmant sapientem: præsertim si fuerit debilis, & colli paulò altioris; quo etiam minus verentur parum idoneum & providum ipsum appellare. Vnde communi eorum sermone tritum natum est proverbium: Subtilem & *longum plerumque esse stupidum.* In parvo verò non peræquè tot vitia gubernationi infesta, quàm in longo licuit observâsse, eo duntaxat excepto, quòd *parvi soleant esse iracundi, arrogantes*, & vulgus eos ridet, neque unquam magnopere æstimat & admiratur. Quæ quidem natura ingenita nullo pacto excusari queunt, adeò ut Principi necessarium fuerit, quoad ejus fieri maximè potest, curare, ne in consiliario contraria bonæ reperiatur

Phlegmaticus.

Longus.

Parvus.

periatur habitudo; etenim risu publico
Pinguis. postea facilè exagitatur. Cum autem nimis pingues quasi dolium; aut subtilis ut congrus insolatus, qui in quadragesima comeditur, spectantur, ut alia incommoda, quæ ex humore, aut pingui, aut tenui eis obveniunt, prætercam; qui quidem humor planè ad gubernationem reddit eos ineptissimos: quorum vitandorum causa
Mediocris. corpore & statura mediocri expediet consiliarios elegisse. Quartum adjumentum, quod idoneum, quoad quidem corpus, monstret consiliarium, naturalis ingenita est proportio, in qua unum alteri membrum respondet, ut nec demi neque addi posse aliquid videatur. Etenim, ubi in aliquo horum peccatum deprehendas, magnum argumentum est & animi ipsius vitiosi, & offenduntur haud dubiè spectatores. Proportio verò in omnibus corporis partibus est quidam ordo non magis mirabilis, quàm & delectabilis: cùm videlicet neque minus neque majus est caput, quàm reliquum corpus requirat. Quod idem & de aliis membris statuemus: ne una manus sit longior, contractior altera; humerus hic elevatus, ille depressus, & alia generis ejusdem. Integritas quoque partium est pernecessaria. Luscum, gibbosum, aut sine pede, manu, brachiovè nasci aliquem,
Monstrosus. monstrosum est: & aut superfluitas, aut defectus materiæ est causa. Et talis omnium ferè physicorum est opinio, præsertim

tim Galeni & Hippocratis, cunctos ad eum modum generatos (nisi fortè successu temporis aliunde id evenerit,) habere infinita, quibus tam in intellectu, quàm in vita & moribus impediuntur. Et dicunt, Aristotelem crebris illud usurpâsse sermonibus: *Libera me Deus à naturâ signato.* Quibus de causis omnibus, inprimis autem, ne homines eos refugiant & aversentur, in ea prorsus sum sententia; Eos qui horum vitiorum aliquo laboraverint, in reliquorum consiliariorum numerum non esse asciscendos. Quintum & postremum, quoad corpus ejus, qui consiliarium agere debet, est adjumentum, ut pulchra & venusta sit facie, propterea quòd iis, qui hoc naturæ habent beneficium, honor præ aliis defertur, & summopere diliguntur: & nescio quomodo præ cæteris multum in vulgus habent authoritatis. Ideò consiliarius mediocre & rotundum, neque cacuminis instar habere debet caput, faciem quidem longiorem quàm rotundam potiùs, non parvam neque minus etiam carnosam: frontem elevatam, aut mediocrem, non parvam aut tristem: oculos porrò mediocres, vivos & tranquillos, non omnium maximos, neque etiam admodum parvos, aut turbidos, non sine gravitate: nares longiores & delicatas, non breves, neque crassas, neque depressas: labia mediocriter crassa, non minus subtilia, neque etiam crassa, neque pendentia: & sit denique venustus *Venustus.*

nustus ad insinuandum se, hominum benevolentiæ accommodatus. Atque hîc quidem finem adjumentorum faciam, quæ consiliarium corporis ipsius ratione aptum declarant. Interim autem meam hanc diligentiam, quòd minuta etiam ista de adjumentis consiliarii adeò tractaverim, reprehensuros esse quosdam non dubitabo. Verùm ego istis haud ita dubitanter vicissim respondebo, eum, qui aliquid bene tractare & discutere cupiat, per omnia sermone & cogitatione, nulla penitus prætermissa re, divagari oportere, & magis aliquando ista, quæ minuta videntur, esse observanda, cùm sine illis, nec possint neque debeant ulla ratione stare majora. Videmus, cùm ad domus alicujus venitur emptionem, quanta utamur diligentia, non solùm fundamenta & parietes, sed ipsa etiam stabula, & illa loca, quæ honestè dici non possunt, solertissimè scrutamur, & pervestigamus: Quantò verò magis acutè in eum introspicere par fuerit, qui regna & provincias gubernabit. Empturi equum pro decem, quinquaginta, centum, vel ducentis aureis, quid non facimus? jubam, buccam, ossa, oculos, aures, pedes, crura, pilos, formam, & id genus alia, acutè rimamur universa, jubemus ut currat, ut gradum sistat, ut redeat, ut in gyrum vertatur, & ut lentò inambulet, quomodo denique vel bibit, vel comedit, inquirimus diligenter: Princeps ipse, ut dentes equi videat,

Equum emturus quid agit?

videat, vel suas in ejus buccam manus ingerit aliquando. At nobis quid minutum in eo cognoscendo videatur, quem nostris præficiamus facultatibus, cui honorem vitamque nostram concredamus, & qui curam gerere debeat totius nostri principatus?

CAPUT IV.

De Electione Consiliarii.

DUÆ tantùm sunt res, (quod secundi capituli principio superius est dictum,) quæ in consiliario potissimum spectantur deligendo: Una est, verè dignum & tanto muneri esse idoneum, quæ ipsa in præcedentibus capitibus duobus satis superque est explicata; vita & prudens, de qua nunc loquar, electio est altera, quæ non nisi penes ipsum consistit Principem, ut nimirum intelligat, quo, quando, quomodo, quis egeat, & sibi suisque consulat, consiliario. Neque enim mihi est dubium, consiliarii electionem tanti ponderis & momenti esse rem, pro se quemque Principem cogitare oportere, ut ex una quidem parte honos & commoda ipsius consistant in eo omnia: ex altera vituperium & interitus tam ejus, quàm populi consequatur. At ut breviter multa complectar, aliis quæ in hanc sententiam dici possunt pluribus præteritis, vulgo videmus pri-

mum & præcipuum judicium de Principibus & eorum virtutibus à consiliariis proficisci, qui si idonei & sapientes fuerint, haud dubiè & Princeps ipse habetur sapientissimus. Hic verò ut quales idonei sint, intelligentia assequatur, eosdemque sibi fideles & sinceros reddat, id potissimum spectet, ne hac una in re erret aliquando vehementius, in qua semel lapsus, facilè in reliquis etiam semper impingat. Etenim ut rivulis fontis infectis tota aqua corrumpitur; sic consilio depravato regis, reliqua etiam in administratione publica descedantur. Hinc audimus, cùm una omnium voce solet laudare populus Principem, tum nimirum eam inde laudem potissimùm exorditur, quòd præstantes consiliarios habet: & in his demùm si quis adeò antecellit, tum ait: Hic aut ille tali præstat virtute, & hoc aut illo nomine populo satisfacit. Iam verò mox vicissim murmurat, & pessimè contentus est, si defuerint; maximè autem, si bellum gerendum est, statim acclamat: Desunt nobis boni consiliarii: hic & ille rex tales habet ad tractationem pacis viros, & alias pactiones aut conditiones ineundas. Vniversus denique populus sibi metuit, & vociferatur: Nos, inquit, decipiemur, & in discrimen rerum nostrarum veniemus; quia nobis deest bonum consilium. Non est igitur dubitandum, nos à recti consilii viribus & authoritate & omnia dependere,

re,

re. Quod rectè aliquando regius Propheta intellexit, cùm in bello, quod ei cum filio Absolon intercesserat, non alio nomine Deum Opt. Max. precabatur, quàm ut consiliarium ejus primarium excœcasset: nam magis sibi ab Achitophel, quod erat nomen consiliarii, metuebat consilio, quàm ab armis, bellandique usu, & artibus omnium reliquorum. Habeat Princeps consiliarios bonos, hi, ut aliquando errent, non erit, cui is facilè fidem faciat. Si autem secus fuerit, & res vel aliquando succedant benè, tribuitur casui, & errore aut negligentia adversariorum, præter omnem expectationem, dicitur evenisse. Certissimum igitur est, à concilio & consiliariis bonis non solùm prosperum rerum successum, & ipsum honorem ac famam Principis proficisci, & tam quidem apud suos, quàm & apud exteros ipsum magni fieri, & retinere ubique autoritatem; ut videlicet ament eum sui, & revereantur exteri; & una omnium voce passim & ubique prædicetur. Quare primum & præcipuum eligendo cõsiliario id princeps habeat, ut meminerit & sæpius secum consideret ea, quæ in hoc capitulo continentur. Secunda sit admonitio, ut Princeps etiam atque etiam cogitet, tali consiliario magis egere se, quàm ipso, quem comedit, pane: & hoc ideo maximè, ut audire possit & admittere apud se veritatem. Etenim vix est credibile, nudam veritatem ad aures

Principis, propter adulatorum multitudinem, quibus undiquaque semper circumseptus est, pervenire. Audienda quippe ab unoquoque sine discrimine veritate, amittendæ autoritatis suæ periculo non caret; ut ad extremum tandem nihili & contemptui habeatur: neque expedit omninò, ut velint ejus veritatis enunciandæ concedere omnibus facultatem: Sed suos Principem habere consiliarios necesse est, iis præsidiis, de quibus in aliis capitibus diximus, instructos & locupletatos; qui & veritatem intelligere sciant, & suo loco & tempore velint eam proferre: & istorum quidem id propriè incumbet muneri, ut in omnibus, & per omnia observent & loquantur veritatem. Atque hæc unica erit via illius audiendæ, & assentatoriæ cognoscendæ, & penitus explodendæ falsitatis, qua vix crediderim meliorem aliam posse reperiri rationem. Tertia admonitio est, ut Princeps, qui in multas habet partes dispartitum imperium, eligat ex omnibus & diversis partibus, aut provinciis sibi subjectis, consiliarios, non tantùm ex una aut item altera. Cujus rei ergò facilius declarandæ, exemplo, & quidem domestico, regis Catholici Hispaniarum utemur. Inter alia plura ille dominatur Arragoniæ, Castiliæ, Siciliæ, Neapoleos, regnis, Mediolano, & inferiorum provinciarum Burgundicæ familiæ possidet principatum. Debet igitur habere consiliarios non solùm

Arragonenses, aut ex Castellæ regno oriundos; sed etiam Siculos, Neapolitanos, Mediolanenses, & Burgundos. Et quæ hoc loco de Hispaniarum rege diximus, hoc de omnibus Principibus dictum esto generatim. Expedit quippè regibus, ut hac unica insistant via, si populos suos rectè regere, & reddere sibi non infestos volunt: nam alioqui pessum eunt universa, ægerriméque à publicis gubernaculis gentes & nationes amoveri se patiuntur, & quasi in furorem aguntur, cùm suæ gentis vel agnationis vident in consilio neminem: existimant namque non sine causa id fieri, & aut à Principe haberi despicatui se, aut servorum instar, aut denique indignos, quibus se concredat, arbitrantur. Ac primum quidem ingenerat odium: alterum quærit & concupiscit libertatem, unde in Principem conjurationes oriuntur, & externorum arma evocantur: postremum inflammat & obdurat corda subjectorum ad quamvis proditionem in suum naturalem Principem prosequendam. Iam & illud perspicuum est, quòd illarum regionum, in quibus nati & educati sumus, omnes omnium mores, ingenia, desideria, virtutes, vitiaque hominum, ac denique ipsas familias, ac earum merita, maculas, commoditates & difficultates, utilia denique & damnosa cuncta, rectiùs cognoscimus, quàm externarum. Quo etiam magis, si ex omnibus, quæ illi subjacent provinciis,

rex elegerit consiliarios, natos, inquam, & in iis educatos, poterit rebus commodius providere. Et quidem *natura ipsa duce ita est comparatum, ut nostros magis amemus semper, quàm externos & alienigenas*: multa namque nos consociant & obligant nostris, sanguis, societas, amicitia, obsequia, merita, vicinitates. Ac quo maximè tenentur boni, sub iisdem legibus esse natum atque educatum plurimum interest: earum enim rerum nulla cum externis nobis est communitas: consequens ergo est in & extra consilium, citius & melius, & majori cum diligentia, domesticorum negotia tractari, quàm externorum: qui quando consequi aliquid nituntur, oportet eos sudare guttas sanguinis: summo labore, & (ut ita dicam) brachiorum contentione parant omnia; aut verò quod boni mercatores facere solent, numeratis pecuniis emunt quæ concupiscunt. O quam autem infelix est illa provincia, quæ in Principis sui consilio ne unum quidem suæ nationis consiliarium intuetur! Iam verò & Princeps ipse, qui ex una tantum gente eligit sibi consiliarios, ut mihi quidem videtur, maximè animi laborat impotentia, & partium sectarumque se ostendit amatorem. Etenim cùm nationi uni tribuuntur omnia, aut saltem maxima; necessariò illa tandem insolescit: quod cùm aliæ indignius ferant, inflammantur tandem invidia, & in ipsos Principes jaciunt maledicta, & denique

perditos

perditos eos cupiunt, & varias concitant in eos seditiones, unde postea ad bella & tumultus devenitur. Iam & quælibet sua vitia & virtutes habet provincia, habet bonos & malos, doctos & indoctos, fidos & infidos: quam ad rem non multis mihi opus est verbis: qui potest me intelligat, ego quidem satis me ipsum intelligo. Princeps pro se quisque publica juris ipsius ratione persona est: nolit ergo contra rationem partium ostendere se fautorem: est omnium civitatum suarum & regionum civis, nolit esse alienigena & externus: est pater omnium, non expedit ut vitrici loco habeatur. At breviter, cùm consilium Principis omnes ipsius debeat regere provincias, ex omnibus iis consiliarios operæ-pretium ad illud erit quæsivisse. Quarta est admonitio, ut Princeps eligendo consiliario, non modò eorum numero, quos in aula sua habet, aut aliquando eos vidit, vel de iis audivit, & ut vel ipsa re idonei reperiantur, sit contentus; sed ut adeò etiam omni via & ratione, quoad ejus fieri maximè potest, de iis perquirat, suisque præfectis, vel provinciarum mandet rectoribus, ut omni adhibita solicitudine & cura diligenter pervestigent, qui ad hoc consiliarii munus plus vel minus apti videantur. Quorum trium aut quatuor nomina mitti debent: & ille ad se proficiscentibus viatico non desit, si, ut cognoscantur, in aulam evocarentur. Vix autem percenseri

tot ac tanta commoda possunt, quæ ex hac una admonitione, si rectè observaretur, proficiscerentur. Interim sufficiat scivisse, inter complures aptos, quam inter paucos facilius inveniri excellentissimum, & populos gaudere, magisque amare Principem, cùm paterna cura illum affici omnium, & æquè procurare commoda & ornamenta omnium, deprehendunt. Iam & homines nobiles magis invigilabunt artibus gubernationis addiscendis, & ut benè scienterque inter alios vivant, citra omnem infamiam seu reprehensionem levitatis. Hinc missa facient vitia, persequentur virtutes, fugient scandala, & alia quæque turpiora, ut tantum nomen sibi concilient, & in eum numerum referri possint aliquando. Hac eádem postremo in suis provinciis via cognoscet Princeps suos exactius, quales, & quanti sint, & quid pro se quisque ipsorum mereatur. Atque ita pro re & occasione, pro diversis periculis, negotiis, & muneribus publicis, quo loco quid promere poterit & debebit, non eum præteribit. In numero quidem ipsorum, qui apti esse censebuntur, unus tandem aut alter restabit: verùm non restet Princeps ipse consolari sua affabilitate cunctos, laudando illorum mores, atque adeò vitæ ipsius institutum, in quo & perseverare, & cursum gloriæ continuare velint, spe præmiorum proposita eos hortetur, & tandem aut in aula servabit sibi aliquos, aut publicis

blicis præficiet muneribus, aut domum reverti patietur. Ex hac nimirum ratione pro uniuscujusque meritis & autoritate dicetur rectè omnes tractavisse, & reddet haud dubiè contentos, & ipsi consilio optimè providebit. Quinta est admonitio, ut in eligendo consiliario Princeps celeritate non utatur nimia rationi & diligentiæ inimica; sed sensim & pedetentim ad eos, qui nominati fuerint, muneri consiliarii præficiendos progrediatur: & interim detur facultas omnibus omnium vitiorum tam scripto quàm voce proferendorum candidati, ejusque rei commodius exequendæ gratia immunes accusatores sunto; sed tamen ita, ut via obsepiatur falsitati: quod fiet, si talionis, quæ dicitur, lex omni severitate animadversionis suum effectum sortietur, incurrentque indignationem Principis, qui tales fuerint. Iam & illud gravibus pœnis cavendum est, ne quis ea, quæ de ipso Principi referri debebunt, tam per se quàm per alium ullo modo impediat. Hinc enim tam vitia quàm virtutes candidatorum magis erunt exploratæ, & portæ calumniis obstruentur, & qui idonei fuerint, concilio subministrabuntur: qui verò minus idonei erunt, saltem non audebunt esse petaces, ne cum infamia repellantur. Hoc idem aliquando in eligendis magistratibus observabatur Romæ, pœnis & præmiis in utramque partem propositis, quæ executioni strictissimè

mandabantur. Quæ quoad duravit consuetudo, floruit semper Roma: ut desita est observari, eò tandem, quò videmus, res devenit. Sexta admonitio est, ut attentè & alacriter tàm accusationes, quàm commendationes omnes candidati Princeps audiat; sed interim tamen facilè fidem habeat nemini, si infames accusationes erunt, cogitet & veras & falsas esse posse, & quàm multi malitiosi, invidi, ignari, animo impotentes, reperiantur. Neque verò dicat: hoc mihi Dux & Episcopus ille, sacerdos, doctor, pater sanctus, aut denique hic vel ille narravit: nam vel inter ipsas cruces, quod dicitur, diabolus est medius vel nonnunquam: hoc autem est, quòd omnes homines sumus, & fallere atque falli possumus. Qua de causa Princeps non facilè alicui credat, antequam recto judicio & inquisitioni sui tribunalis id commiserit, atque eodem etiam modo, si vel in favorem candidati multa sortiatur testimonia, ne iis quidem habeat perfacilè fidem: non enim sufficit dixisse, talis Cardinalis, talis Marchio, talis miles, talis religiosus, bonus & sanctus, hoc vel illud mihi confirmavit. Equidem nos omnes homines esse memini, qui aut alios circumscribimus, aut circumscribimur ipsi. Atque unum illud tandem est certissimum, qui de his rebus testimonia dant, nunc rectè, nunc sinistrè multa referre quamplurimos; & interdum partim cupiditate moveri ali-

qua,

qua, partim invidentia, partim commodorum spe, partim etiam vanitate. Quæ ut omnia non subito dignoscantur, est, quod latent sub quodam ceu integumento studii erga Principem, & desiderio ipsius dignitatis; & sunt tanquam bolus quidam medicorũ inauratus, in quo exterius non apparet, quæ intus recondita est amaritudo. Credere interim facilè, quòd experientia magistra, num ita se vel secus habeat, possis scire, nunquam fuit sapientis. Velim igitur principem cum S. Thoma loqui, & non nisi ea credere, quæ aut oculis cernere, aut manibus potuerit ipse palpare. Septima admonitio est, ut nullo modo, non præcedente examine, consiliarius eligatur, quòd si dignus vel secus fuerit, possit constare. Memini probè, quid superioribus diebus eligendo pistore regis Hispaniarum dulciario acciderit; res haud dubiè eò deducta est, ut is potissimum eligeretur, qui quibusdã confectis ex saccharo sciebat sibi melius conciliare fautores. Iam & illud in mentem venit, quod aliquando Cardinalem Ludovicum Borbonium, cùm ex Regno Galliarum ab eo postulans discedendi facultatem alloquerer, cùm ad arma utrinque spectarent res, anno à Christo nato supra mille quingentos primo & quinquagesimo, cuidam, qui canes venaticos volebat ipsi donare, memini dixisse: Fac, inquit, ut venandi periculum primùm iis faciam: tum si mihi usui secusvè fuerint, facilius

judicabo. Hoc quidem, ut rude hoc loco adduci argumentum videatur, certissimum tamen est, nec pistores dulciarios sine examine, neque canes sine venandi exercitatione posse spectari. Examen autem erit illud, ut Princeps semel atque iterum, sedulò inquam & accuratè perquirat, an candidatus habeat adjumenta illa, quæ ego in secundo & tertio capitulo annotavi, & ut eo modo, quo ego monui, cuncta pervestiget: nam qui illis adjumentis carebit, prorsus erit inutilis; qui cuncta habebit, erit haud dubiè perfectissimus; & qui plus vel minus, eodem modo plus vel minus idoneus erit existimatus. Vt igitur hæc omnia adjumenta metiatur Princeps, unam ulnam quindecim palmarum, hoc est, quindecim adjumentorum animum concernentium, & quinque palmarum alteram, hoc est, quinque adjumentorum, quæ corpus spectant, adhibebit. Qui omnes, aut saltem habebit plures, is postpositis aliis, ad consiliarii munus rectissimè eligetur; ita quidem, ut si unus habuerit decem, alter verò octo aut novem, ille qui habet decem, cunctis præponatur, nec ullum sit in hominibus discrimen, sive ille dives, sive pauper fuerit, sive parvus, sive magnus, sive ignotus, sive familiaris. Nam si potens dux, aut nobilis prædives, aut intimus aliquis familiaris simul & semel ambiret consiliarii munus, cum eo, qui nec principatu, neque divitiis, neque gratia ipsius Principis comparandus

randus iis esset, superior duntaxat illis, de quibus diximus, adjumentis evaderet, citra ullam dubitationem præ cæteris eligendus, reliqui omnes essent repudiandi. Et quidem hoc intelligitur de iis, qui elucent clara aliqua & illustri virtute. Munera quippè publica debentur virtuti potissimum, & non aut benevolentiæ gratia, aut præstitorum obsequiorum causa, aut etiam divitiarum ergò sunt distribuenda. Interim certum etiam illud definitúmque esse, & favorem, & divitias, & obsequia tum haud dubiè valere, cùm in utramque partem virtutis paria sunt adjumenta. Exempli gratia: si competitores duo æqua lance ponderandi essent, tum Princeps suæ in aliquem tribuere posset aliquid voluntati, & obsequiorum ipsius recordari, concedere etiam nonnihil potentiæ, & non oblivisci præstantium in Rempub. meritorum, aut suæ regali majestati præstitorum. Etenim certissima hæc est regula, munera non nisi ex his causis tribus, unius causæ concedi gratia, videlicet, aut propter merita, aut propter favorem, aut propter potentiam. Primus modus, ut ita dicam, est ipsius virtutis; postremus abusus; intermedius ut etiam abusus sit, postremo tamen non potest comparari. Vt ut autem habet se res, illa quidem boni Principis & tyranni est nota, quod Princeps virtuti tribuit, quæ tribuenda sunt omnia, honores & magistratus: tyrannus propter favorem & potentiam largitur

universa, qui quidem in tertiam generationem vix suum tuebitur principatum. Prætereo multas alias & graves rationes, quæ hoc loco commodè adduci possent & deberent: eo tantum fine facio, identidemque moneo, examen ut diligentissimum adhibeatur, & is præ ceteris eligatur, qui præscriptis regulis secundi & tertii capituli accedet quàm proximè semper: & denique ut illud examen ipsum ab illo Principe, & non à quopiam fiat alio ullo modo aliquando. Octava admonitio est, ut posteaquam examen factum & subsecutum ea ratione, quam proximo præscripsimus capite, fuerit, sine ulla vel minima priorum præceptionum, aut in hanc vel in illam partem interpretatione, tum demùm duobus tribusvè diebus pòst, vocet ad se Princeps eundem consiliarium, & præsentibus audientibusque aulæ suæ cunctis, portis apertis, brevibus verbis ei demonstret, quomodo sit electus virtutis & meritorum suorum causa consiliarius, pro ea spe & opinione, quam omnes de ipso conceperunt: Videret igitur, ut virtute, integritate, & morum vitæque constantia in omnibus eam opinionem tueatur: demum principatum suum & omnia ipsius commoda & ornamenta diligenter ei commendabit, eo etiam adjuncto, ut pro re & occasione, cum ea, qua par est, modestia, liberè eum hortetur & dehortetur, & suggerat cuncta, quæ ad ipsum pertinere maxi-

mè judicabit. Ac nimirum dicet, ut nulla non animadversionis gravitate in eum usurum se esse, si quid contra officium fecerit: sic rursus & libenter opibus & honoribus eum aucturum, si de se semel expectationem excitatam virtute & industria sartam tectámque conservaverit. Hac tali & tam necessaria admonitione in effectum deducenda, Princeps sibi devinctos reddit populos, ad virtutem & gloriam accenduntur boni, terror & desperatio injicitur malis: consiliarius postremò ipse non solùm similis esse sui; sed adeò etiam ipsam expectationem de se semel excitatam indies vincere, quàm maximè poterit, semper contendet. Nona & extrema est admonitio, ut his omnibus, quæ antea dicta sunt, ritè peractis, solenne à consiliario jusjurandum Princeps exigat ipse, in quo Deo Opt. Max. juret bonum & fidelem consiliarium se ejus futurum esse, & commoda dignitatemque principatus diligentissimè curaturum, & quod denique nec vitæ, neque sanguinis, neque bonorum, aut utilitatis alicujus spe vel ratione à justitia & æquitate se dimoveri patietur. Exacto ad eum modum juramento, non est quod adhibeat ipsum aliis negotiis. Dici autem vix potest, quantum inde proveniet commodorum. Etenim, si tum forte officio & juramento suo consiliarius non satisfecerit, Princeps in ipsum justam habiturus est causam indignationis, tanquam in eum, qui

fidei

fidei & conscientiæ suæ oblivisceretur. Ipse verò consiliarius magis reddetur circumspectus, ne officio & functione sua abutatur : iis etiam, qui contra jus & æquitatem ab eo precibus obtinere volent, sanguinis & necessitudinis colore alicujus, facilius, & cum majori æquitate se excusabit. Populus denique rebus injustis postulandis erit moderatior, & assuescet honesta à consiliariis regiis postulare ; & si quid in contrarium fecerint, fidentius eos deferet & accusabit.

Operis Conclusio.

HOc illud est totum, quod in hoc primo octo librorum dixisse libro occurrebat, in quem materia de concilio & consiliario Principis debet inferri. Iam verò satis superque quid sit concilium, est declaratum. Et quomodo pro se quemque Principem (si aliàs benè gubernare cupit) concilia differentia septem, in omnibus & per omnia, in munere & administratione tota, in ministris, in mandatis & authoritate, expediat ordinare. Est denique illud etiam ostensum, quid sit & dicatur consiliarius, qui, ut adeò aptus & idoneus habeatur, adjumenta viginti eum habere oportere, quindecim ratione animi, corporis duntaxat quinque. Iam & Principi notas & admonitiones novem, quomodo & quando eligere consiliarium debeat, suggessi.

Hoc

Hoc quidem est totum, quod apud animum proposueram meum,& quod vel initio istius libri me facturum esse promiseram. Quam ipsam ad rem divinæ & humanæ induxerunt me leges, quibus,ut quo & quando maximè potest, unus alterum juvet, obligamur; præsertim in rebus, quæ ad publicam maximè spectant salutem & utilitatem. Quales concilium & consiliarii ipsius sunt principis. Quod si in me esset formare, quale fieri expediret concilium, sicuti quidem scripto est comprehensum, prius boni concilii proponerem exemplum, quàm illud stilo adumbrarem: sed quando unum non datur, præstemus saltem illud, quod nostræ est potestatis. Illis incumbet reliquorum perficiendorum cura, qui ad voluntatem afferre pariter poterunt facultatem, quod profectò & majoris quietis suæ causa, & tam honoris, quàm utilitatis gratia debent præstare. Ego interim, quöad vixero, duo illa divinitus precabor: Vnum, ut Principum aperiat oculos, ut quid eorum conciliis & consiliariis desit, videant: aut ut tandem aliquando seriò secum, quomodo his tot ac tantis malis occurri possit, recognoscant: dimidium certè itineris confectum judicarem, si vel saltem, an bonum vel malum eis est consilium, cogitarent: Nulla quippè infirmitas, quàm ea, quæ non cognoscitur, major habetur. Alterum est, ut ii, qui sunt consiliorum apud Principes directores, omnibus

bus perturbationibus animi semotis, salutaribus monitis viam demùm patefaciant, & Reipub. suique Principis, quàm suæ privatæ serviant potiùs dignitati, neque falsis perturbationibus, album pro nigro, & nigrum pro albo ei obtrudant. Etenim illi sunt, qui perditum volunt & faciunt Principem. Illi, inquam, bonis & virtute præstantibus crura succidunt, ne ulterius altiusvè progrediantur: Illi oculis Principis tenebras offundunt densissimas. De malis quidem, non de bonis, hoc loco loquor. De bonis satis persuasum mihi fuerit, quòd hoc ejusmodi opusculum semper probabunt; non quòd meum sit, qui minus quàm mediocris sum, sed quòd proculdubiò re ipsa est salutare. At quid jam porrò non clamabunt mali? Affirmabit quidem iste, ut Princeps in tam subtili consiliarii electione tantopere laboret, non expedire. Cui ego respondeo, non esse hunc laborem, sed laboris potiùs allevamentum. Nam eò minus bello & pace habiturus est occupationum. Mox dicet ille, Principem esse liberum, & ejus arbitratu distribuendas functiones. Iam & huic vicissim hoc responsum dabo: Libertatem Principis, expertem rationis non esse libertatem: Nam tum demùm abusus est, & nescio quid ejusmodi instar ipsius servitutis. *Et ille verè est Rex, qui rectè facit; & liber, qui moderatè utitur libertate*: Nam aliter, qui tyrannus non habeatur? concedere autem id Principi, ut

pro

pro libito distribuat magistratus, est exagitare ipsum risu publico, & tyranni loco habere. Erit præterea non nemo, qui viros nobiles præmiis & dignitatibus, ratione antiquitatis & splendoris familiæ, præstantiúmque in Rempub. meritorum afficiendos judicabit: & hoc quidem ego etiam sentio: verùm non unum & idem est, aliquem aliquo præmio vel honore æstimare dignum, & pati esse consiliarium. Nam non desunt quidem viæ præmiis afficiendi multos, consiliarii licèt non evaserint, quam plurimæ. Quid verò est, quòd & eos postremò videas, qui, quales volumus, consiliarios in orbe terrarum reperiri nusquam, non dubitabunt affirmare. Quibus ego sic respondeo, etiam multos, & idoneos, & spectatos in omnibus partibus reperiri; sed unum illud deesse, ut virtutis causa, non benevolentiæ, aut potentiæ gratia Princeps eos eligat, & ut maximè desiderarentur, præstare illos velit pro eo ac debet. Ex lapidibus homines excitabit. Cùm est Princeps poëta, omnes versus pangimus: cùm est musicus, omnes cantamus & choreas ducimus: cùm est bellator, tractamus arma: cùm est assentatorum amicus, omnes lepidis delectamur: cùm studet astrologiæ, circa sphæras versamur, & id genus alia instrumenta. Si verò talium consiliariorum, quales depinxi, est fautor, caput mihi amputari patiar, si intra quadriennium præcipui quique procerum ad

hæc munera idonei non reperientur. Seriò hæc tantùm aggrediatur Princeps,& ſemel reipſa,quod conſului,præſtet, tum demùm opinione celerius & aulam & totum principatum ſuum immutatum experietur; mutatum dico, imò etiam quodammodo novum effectum. Omne hoc tempus,quod datur otio, aleæ, blaſphemiæ, adulteriis, & aliis mille vitiis, dabitur virtuti & honeſtati, & iis artibus, quæ ſunt erúntque maximè Reipub. neceſſariæ; aula poſtremò virtutis & ſapientiæ reddetur officina. Aliis autem interim quæſtiunculis nec libet quidem reſpondere, cùm ſint pleniſſimæ vanitatis. Redeo ergo ad ipſos Principes, & illis hoc confirmo: ſi hoc, quo præſcripſi, ſuos conſiliarios eligent modo, quoad vivent, ſortituros eos quietem & voluptatem maximam; & non ſolùm deſenſuros, verùm etiam aucturos eſſe principatum. Pacis denique & belli tempore erunt ſemper domini, amabuntur à ſuis ſubjectis, timebuntur ab adverſariis, & ab omnibus evadent laudati atque celebrati. Poſteris etiam ſuis firmum & diuturnum relinquent imperium, & magnorum bonorumque Principum nomen vel ab ipſa morte omni ævo ſortientur.

HIPPOLYTI A COLLIBVS CONSILIARIVS.

HIPPOLYTI A COLLIBVS

CONSILIARIVS.

PHILIPPO LVDOWICO
Hanoviæ comiti illustriss.



Agnum sanè Principibus viris vnus impositum: imperium moderari sapienter, juris æquabilitatem colere, flagitiorum coërcere licentiam, excitare virtutis studia, ordinem in omni officio conservare, & rem denique publicam excellentibus meritis obstringere.

Consulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.

Quoque majus imperium diffusiúsque, eò major cura, ut non immeritò Diocletianus Imp. nihil difficilius dixerit, quàm bene imperare. Nam si administrationem rerum suarum familiaribus totam permittant, omnia Regni præsidia dilabantur necesse est: si per se omnia curare velint, inanem curam & sine ullo fructu percipient, horamque nullam molestissimis negotiis, metu & sollicitudine liberam habebunt. Magna servitus, magna fortuna.

———metui cupiunt
Metuísque timent, non nox illis
Alma recessus præbet tutos,

Non

Non curarum ſomnus domitor
Pectora ſolvit.

Prudenter Saturninus illis, qui imperatoria eum purpura induebant: Neſcitis, amici, quid mali ſit imperare: gladii & tela noſtris cervicibus impendent: imminent undique haſtæ, undique ſpicula: ipſi cuſtodes timentur & formidantur. Verùm mali hujus remedium optimum, idque unicum in legum majeſtate eſt, ſapientumque conſilio, ex quorum ſententia quid optimum factu ſit, ſtatuant: nam ſummis, ut ille ait, Imperii moderatoribus, pia & decora ſuadentes, inſtrumenta ſunt boni ſeculi. At difficulter reperiuntur: & pauci qui reperiri poſſent, Principum aulas vitant. Sapiens enim, ingenium ſuum, & prudentiam non venditat, nec ſuas unquam rationes eò confert, ut Principis alicujus gratiam acquirat, ad cujus nutum & arbitrium ſe totum componat: ſpecioſam illam ſervitutem fugit, quin potiùs ſummas divitias in æquitate animi, & in reſecanda potiſſimùm cupiditate conſtituit. ſemper cupere (ajunt) nihil aliud eſt, quàm ſemper miſerum eſſe. Vera vita eſt, odiſſe honores, qui ſic expetuntur, ut parentur libertatis jactura, pacis, otii. Salem Athenis lingere ſe malle, quàm cum principibus opiparis veſci dapibus quidam acerbè nimiùm reſpondit: ſed facetè Lacydes Cyrenæus, qui à rege Attalo, amicitiam, ſocietatémque in rebus agendis promittente, accerſitus, venire renuit: philoſophos quippe ut picturas & imagines eminus videndos eſſe, non cominus.

Intelli-

Intelligebant sapientes hi viri, Principum familiares variis non rarò fortunæ casibus expositos, neque felices eos existere omnes, qui regia purpura, regióque auro rutilant. Ex se autem satis didicerant, in rebus humanis nil magis expetendum, quàm quietæ, & procul à publicis muneribus tranquillæ vitæ constantiam.

Felix, mediæ quisquis turbæ
Parte quietus, aura stringit
Littora tutâ, timidúsque mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

Quapropter veri Principis industria in sapientibus omni studio in bonum publicum vindicandis retinendisque, meritò semper versata est. Ad retinendos duo requiri video. Quemadmodum (ait ille) fruges non tam ingenio soli, quàm cœli beneficio, melioréque temperie lætiùs exuberant; ita & eximia ingenia, benignitate, humanitatéque Principum virorum excitantur & aluntur: alterum igitur est, ut eorum opera, tum clementer & benignè, tum etiam justè, hoc est, congruenter utantur. Quemadmodum enim ministrorum partes sunt obsequium, assiduitas, taciturnitas, labor indefessus: sic magnatum contrà officium est, consiliariorum, (quos boni principes partem sui corporis esse statuerunt) sedulitate non abuti, nihil unquam in eos asperum aut contumeliosum dicere, nec acerbè officium exigere, sicque cogitare, se non servis & mancipiis, sed liberis hominibus imperitare, quorum

opera si non gratuita & voluntaria, at certè libera utuntur. Alterum est, ne laborum suorum præmio ac mercede fraudentur: quid quæso æquius, quàm ut quorum vita in nostris consumitur commodis, eos remuneremur? exemplo vel ab agris sumto, qui à quibus diligentiùs coluntur & laboriosiùs, iis uberiores fructus ferunt. Rerum istarum neglectum magna sæpe principibus incommoda tulisse, præter antiquas, historiæ etiam recentiores clarissimè docent. Atque hæc quidem Principem ipsum respiciunt.

Cæterum quænam ipsius consiliarii partes sint, hoc sermone, qua potui diligentia, succisivis horis persequi conatus sum: an aliquid assecutus, boni lectoris judicii facio. Id sanè qualecunque est, in splendidissimo tuo potissimùm nomine, Comes illustrissime, apparere volui, cujus, in magna fortunæ indulgentia, animi moderatio, morum facilitas, & regiæ denique virtutis indoles, ut de formæ dignitate nihil dicam, ita undique enitent, ut de te ornando certasse videantur. atque id eò lubentiùs feci, quòd opportunè hoc ipso tempore, desponsatam tibi audiam, Dei immortalis munere, Nympham principem, in qua, præter illustrissimum genus, forma & venustas conspicitur; sed pudor magis, probitas, sanctitas, & casti mores, quos domestica disciplina auxit, & probum ingenium confirmavit:

Hoc, par non aliud convenit pulchrius
unquam
Nobiliúsve.

Dum

Dum igitur alii per varia certatim tibi gratulantium genera in carmina erumpent, ac tibi hymenæum canentes, faces præferent nuptiales: ego hoc qualicunque libello, quo uno jam possum, meam adversum te observantiam testabor: ac tibi felix administrationis tuæ auspicium, fortunatum in longum annorum spatium conjugium, longámque propagationis seriem precabor;

Vt senex videas gregem nepotum.

Nec dubito, quin muneris hujus (quod ductu auspicióque tuo prodit) tenuitatem, animi tui magnitudo & singularis humanitas sublevatura sit. Vale.

QVOD DEVS BEN EVERTAT.



SI in rebus etiam privatis nos nobis non ſufficimus; ut cùm agitur de filia collocanda, de fundo emendo, teſtamento faciendo, ſocietate ineunda, vel alia ſimili de re: & certiſſimum eſt, ſapientiſſimum quemque aliorum ſæpe prudentia egere, medicorum ægrotantium more, qui alios ſibi adhibent medicos; quilibet enim in ſuo negotio hebetior quàm in alieno; multò ſanè minùs conſilio aliorum carere poterunt ii, qui-
Tac.l.4. ann. bus multi populi & infinita negotia eaque publica, commiſſa ſunt, qui ita nati ſunt, ut bona malaque eorum ad Rempub. pertineant: ii, inquam, qui ſi vel minimum errent, ingenti protinus id totius regni, ſæpe & orbis malo faciunt. *Graviſſimi Prin-*
lib. 12. annal. *cipis labores, queis orbem terræ capeſſit, egent adminiculis.* Idcirco quemadmodum Tyranni fidos conſultores odio habuerunt, ac ſummos honores ingenteſque divitias, juſtiſſima virtutum præmia, impuris & ſceleratis hominibus, prædæ objecerunt, mimis, ſcurris, lenonibus, quorũ flagitiis imperia everſa: ſic optimum contra quemque Principem Conſiliariis ſtipatum fuiſſe legi-

legimus, totidem veluti oculis, auribus, manibusque. C. Cæsar Q. Pedium & Corn. Balbum habuit. Augustus Mecœnatem & Agrippam; Adrianus Celsum, Salvium & Neratium: M. Antonius Scævolam, Mutianum & Volosianum: Severus Papinianum, & alii alios. *Raro*, inquit Vellejus, *eminentes viros non magnis adjutoribus ad gubernandum fortunam suam usos invenies.* Imò sapientiæ argumentum in Principe nullum majus, quàm sapientium virorum consilio uti. *Bene enim*, inquiunt Impp. in quodam rescripto, *Cognoscimus, quod cum vestro consilio, Patres conscripti, fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii, & ad vestram gloriam redundare. Non viribus*, ait Cicero, *aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio, & auctoritate. Atque ego*, inquit Sallustius, *multa legendo, atque audiendo ita comperi, Omnia regna, civitates, nationes, eo usque prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: ubi gratia, timor, voluptas, ea corrupêre, statim imminutæ opes, deinde ademtum Imperium; postremò servitus imposita est*: quod tunc intellectum est cùm Pericles, ut plebis gratiam captaret Areopagitarum auctoritatem sustulisset, & ea quæ priùs in Areopago tractabantur ad pop. transtulisset. Nam haud multò post Respublica tum externis, tum intestinis bellis concussa ruere cœpit. Atque hanc fuisse caussam unicam existimant, cur Ro-

Themist. orat. 3. & Synes. de regno ad Arcad. Dio. Cass. lib. 52.

l. humanum C. de legib. l. dubium C. de repud.

in Cat. majore.

in Orat. Cas.

Plutarchus.

Dionys. Hal. l. 2.

ma tam diu floruerit, quod qui ei præfuerunt, non sua, sed Senatus consilia sequuti sunt. Horum mihi nihil accidisset, dicere Divus Augustus solebat, postquam flagitia domi suæ in publicum emisisset, si aut Agrippa, aut Mæcenas vixisset. *Nullum enim majus boni Imperii instrumentum, quàm bonus Consiliarius, qui non immeritò pacis decus vocatur.* Atque ut uno verbo dicam, non magis mens & ratio in corpore humano necessaria, quàm Consilium in Principe. Sed ut commoda etiam alia, quæ ex Principis bene consulti jussis emergunt, omittam, Nonne Princeps ex assiduitate consiliorum in negotiis cæteris decernendis prudentior fit? notum est illud Græcorum: sapientum congressu Principes sapiunt. *Princeps bonus fit*, ait Capitolinus, *si bonis amicis utatur.* & detur durius quid à Principe imperatum fuisse, justum tamen & rectum subditis vel unica hac de caussa videbitur, quia consilio prudentum factum. Neque majus ullum judicium bonæ mentis ostendere potest Princeps (ut præclarè Cominæus) quàm si eligat sibi, & iis familiariter utatur, viros virtute & fama celebres: nam omnes statim judicabũt, Talem esse Principem, quales sunt eorum mores, quorum familiaritate ipsum implicatum animadvertunt. *Ex Senatoribus Principes noscuntur*, ait apud Tacitum Otho Imp. Adde quod dominum illum offendere cives metuant, & ipsius jussis contra-

Senec. 16. de Benefic. c. 32. Tacitus lib. 4. histor.

Iul. Capit. in vita Alex.

l. 1. hist.

contradicere, quem sciunt omnia cum consilio prudentum agere solere, ut taceam jucunditatem, qua princeps, qui sibi bonos viros studio ac benevolentia devincit, in quorum virtute conquiescat, fruitur. Quid in vita amico fideli dulcius? quod prædium quæve possessio tam opima, tamque omnium fructuum ferax & fertilis, quàm amicus est? Sed ad rem. Consilium, ait Philosophus, est investigatio quædam earum rerum, quibus ad finem, quem nobis proposuimus, facilè pervenire possumus. Cicero verò excogitatam aliquid faciendi vel non faciendi rationem definit. quæ definitiones ita intelligi debent, ut illa de consultatione loquatur, hoc est, de consilii inventione, hæc verò de ipso consilio, ut est consultationis effectus. At nos (quia hoc in loco consiliũ pro Principum Senatu sumimus, quo sensu Tullius, *qui ex Senatu hoc in consilium delecti estis &c.*) Consiliũ dicimus selectorum virorum legitimam congregationem, sive cœtũ, qui Principi suo, quomodo Respub. bello seu pacis tempore administranda sit, consulunt: unde etiam dictum videtur, quod scilicet in unam sententiam plurium mentes cõsiliant & conveniant. Hinc tria in quolibet consilio requiri patet: *Personas* consulentes, Consiliarium videlicet qui cõsulitur, & Principem qui sententiam rogat; *Res* quæ in consilium veniunt, & *finem. Tria sunt*, ait Quintilianus, *in suasoriis seu in consiliis spectanda:* quid

Synesius de Regno.

Moral. l. 6.

Bod. de rep. l. 3. c. 1.

Fur. Ceriol. c. 1.

Festus in v. Consilium.

l. 3. Instit. 8.

quid sit de quo deliberatur, qui deliberant, & ad quid. De istis ordine, sed breviter disserere animus est. Consiliarius dicitur, qui Principi suo salutaria de Repub. fideliter & prudenter suggerit. Ex qua descriptione duo notanda, ea quibus instructus esse debet, & officium. Consiliarium iis animi & corporis præsidiis, & veluti instrumentis munitum esse oportet, quibus finem suum, & ea quæ ad finem spectant, consequi possit. Caput ad consilium de Rep. dandum est nosse Remp. Nemo de iis rebus sapienter disserere, aut aliis rectum consilium dare valet, quas non novit, & notum est illud, turpe esse Iurisconsulto, jus in quo versatur ignorare, non minùs quàm medico & gubernatori morbos cognoscendi & curandi, aut navigandi peritia carere. Regiis igitur artibus præstet opus est, qui regem est consilio adjuturus. notas habere debet, ut summatim dicam, eas omnes res, quæ à Principibus tractari solent, actiones quæ ad pacem vel ad bellum spectant: versatus sit in rebus gerendis, atque in ipsa civili administratione. Quod ut melius intelligatur, præsidia dicimus Consiliarii esse partim à natura, partim à fortuna, & ut breviùs, vel insita, vel acquisita. Insita, ut ingenium, forma corporis: acquisita studio vel exercitio; ut artes, disciplinæ, virtutes. Quum igitur in quovis genere virtutis nemo excellere posse videatur, nisi naturæ fundamentum

jactum

jactum habeat, Consiliarium ingenio præstantem esse oportet. Nam ut ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus elevari possunt, machinis facilè tolluntur, ita quod aliâ sæpe ratione nequeas, ingenio id facilè efficias. *Animi & ingenii celeres quidam motus*, ait ille, *esse debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque sint uberes & ad memoriam firmi, ac diuturni.* Ingenio inquam Portiano, in rebus civilibus tractandis versatili, & indefesso Consiliarium esse convenit, qui tanquam odorari cuncta, eaque cernere ac seligere valeat, qui consilium secundum circumstantias aptare sciat. Vt enim in navis administratione alia in secunda, alia in adversa tempestate usui esse videmus: sic magna pars consilii erit uti in tempore. *Consilia enim rebus aptantur, res ipsæ feruntur, imò volvuntur. quare consilium sub die nasci debet: & hoc quoque tardum est nimis: fallaces enim sunt rerum species; sub manu, quod ajunt, nascatur oportet*: quod magni ingenii est. Rebus novis talis esse debet constantia, ut rapienda sint consilia, non quærenda, ut V. Sabinus dicere solebat:

Cic. de offic.

Seneca Epist. 71. in pr.

Fur. Ceriol. c. 2.

Nimirum hoc illud factum in horas,
Si toties res ipsa ferat, nova sumere semper
Consilia.

Ingenio præditus dignoscitur, si in dicendo argutus, in respondendo promtus, in accipiendo facilis, in docendo clarus, in seriis cautus fuerit. *Neminem excelsi ingenii*

Epist. 39. l. 5.

nii virum humilia delectant, ait Seneca, *& sordida magnarum rerum species ad se vocat.* Ingenii vi numerosissimam rerum speciem exiguo tempore percipi videmus, *quæ vis*, ut idem auctor alibi, *præceptis alitur & crescit, novasque persuasiones adjicit innatis*, & depravata corrigit. Quantum quæso, ut cætera taceam, solo Dialecticorum acumine excitatur; quo primo intuitu omnem argumentationem, non dico ad Philosophorum disceptationem, sed ad quamcumque rem propositam elicere poterit. sed hoc acumine rectè uti debet consiliarius, ne Sophistæ nomen mereatur. Quod igitur dicimus ingenio opus esse, id intelligendum non tantum acuto & magno; sed alacri etiam & apto, quod habeat judicii directam normam. Sine hac enim ingenii commoditate, negotia plerumque exitus non solùm minimè optatos, sed exitiales etiam habent. Nimis subtilia &
4. & Thucyd. l. 3. ignea ingenia (ut rectè Curtius) quæ in assiduo motu versantur, novandis quàm gerendis rebus aptiora sunt: quòd si quid auctoritatis in ipsis est, destruunt. Fit etiam sæpe, naturæ (dona sua inter mortales partientis) decreto, ut idem quamvis excellenti ingenio præditus vir, non omni negotiorum generi aptus sit, neque satis feliciter sese variis hominum ingeniis & studiis accommodet. utrumque concurrat necesse est. Marcus Cato talis erat, ut si arma sumsisset, natum in armis crederes; si se ad

si se ad studia convertisset, inter literas educatum. De eo ita Livius prædicat. *In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipsi facturus videretur.* Titi ingenium, ait Tacitus, quantæcunque fortunæ capax, & decor oris cum quadam majestate, famam augebat. Magnum igitur quoque Consiliarii ornamentum forma corporis dignitati congruens, oris decus & elegantia. Nam quamvis morbo vel tempore deflorescat, & nec nostra, nec animi sit; pulchrum tamen amabile suapte natura est, quandoquidem externa pulchritudo divinæ pulchritudinis imaginem refert, & licet interdum sub ignobili forma lateat pulcherrima natura, & sub ignobili corpore insignis lateat animus, id tamen rarum est. Sapientissimus ille pulchros præ cæteris ad philosophiæ studia admittebat; de pulchritudine hîc loquimur, quam Cicero in dignitate, non in venustate ponit: quoniam ubi vera pulchritudo, ibi quoque ingenium pulchrum: in fucata verò & muliebri pulchritudine omnia fucata. Dignitas corporis apta compositione membrorum movet oculos, & delectat vel hoc ipso, quod omnes partes cum quodam lepore inter se consentiunt. P. Scipio Africanus major, formæ dignitate Barbaris in Hispania admirationi fuit. *Tanta specie,* ait Iovius, *ad exprimendum omne decus in magno Sfortia dissimilium rerum partes ra-*

Decad. 4. lib. 1.

lib. 2. histor.

Diog. Laer. in Socr.

In vita magni Sfortiæ.

tione atque ordine reſpondebant, ut à rudibus, ruſticaniſque, qui cum nunquam vidiſſent, pari inter multos cultu, & ſæpe ſine comitatu, uti omnium Princeps atque Imperator ſalutaretur. Ridiculi vulgo ſæpe fiunt ac dignitatem amittunt, quos natura potiùs quàm caſus aliquis deformàrit. Etiam barbaris hominibus, ait Curtius, in corporum majeſtate veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt. *Claudianus.* De ætate Conſiliarii quæri hoc in loco poteſt, qua ſcilicet cum fructu legendus. Iuventus ſanè *lubrica moribus ætas*, variis cupiditatibus obnoxia, iræ, deſiderio dominandi, ambitioni, intemperantiæ, vehemens eſt impetus juventæ in utramque partem, Syneſius. *De Regno.* *Ariſtot. l. 2.* *Rhetor. de moribus ætatum.* non aliter quàm amnes, quâ viâ data eſt eruptio, illuc excurrunt avidiùs. Adde quòd juvenes ſapientia, rerumque gerendarum uſu excellere non poſſint, nec auctoritate apud populum vel alios, quibus interdum aliquid perſuadendum valeant & dolis etiam haud difficulter capiantur: unde non immeritò abortivi vocantur conſiliarii. *Cautum eſt Domine* (ſcribit ad Trajanum Plinius) *ne quis capiat magiſtratum, neve ſit in ſenatu minor annorum triginta.* Senectus contra ut plurimum timida, ſuſpicioſa, incredula & avara. Quantò enim morti quis vicinior, tantò magis ſolicitus & timidus, addo laborum & dolorum impatiens,

tiens, obliviosus (quo defectu multæ negliguntur sæpe occasiones) & natura loquacior. quod si experientia aliqua adsit, ea non rarò in obstinationem convertitur. Hisce rationibus motus Arist. juniores & senes è numero removet germanorum civium: juniores quod cives sint imperfecti, senes quod effœti. *Cum in quintum gradum pervenerant*, ait apud Nonium Varro, *atque habebant sexaginta annos, tum denique erant à publicis negotiis liberi atque expediti & otiosi.* Ideo in Proverbium quidam putant venisse: sexagenarios de ponte dejici oportere; hoc est quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. *A quinquagesimo anno lex militem non cogit; à sexagesimo Senatorem non citat*, ait Seneca. Media igitur ætas consiliis opportunissima: mediam intelligo ætatem à trigesimo ad sexagesimum usque annum. Quod in eligendis consiliariis regulariter dico: scio enim & ante trigesimum (quod Dio decreto Mecænatis statutum scribit) & post sexagesimum ad munus istud idoneos reperiri posse: sed ut rectè Furius Ceriolanus censet, tutius est qui triginta nondum attigerunt annos celebres adeant Academias, peregrinentur, urbes moresque hominum discant, aulas principum intueantur, castra sequantur &c. sexagesimum verò qui excesserunt, sibi vivere incipiant, in otio & quiete, quæsitis utantur; & solius animæ salutis curam gerant. Hinc senibus tan-

Sigon. de antiquo jure ci. Rom. l.1. c. 17.

Sen. de brev. vitæ c. ult.

lib. 52.

Cap. 3.

tanquam emeritis beneficia, honores, vacationes munerum à legibus tribui videmus. Hæc de bonis insitis & de ætate. Acquisita bona circa ea versari dicemus, quæ (ut supra attigi) ad Rempub. bene ac feliciter gerendam necessaria sunt: circa notitiam scilicet earum rerum, quæ in omni genere principatus ad Imperii magnitudinem & conservationem potissimum pertinent. Inter cætera quibus munitus esse debet consiliarius, principem locum obtinet prudentia Theologica. Nam cùm impietas omnem ex animo peccandi metum evellat, & consilia impiorum fraudulenta sint, sequitur Religionis contemptum, rerumpublicarum eversionem adferre. Necessarium igitur Consiliario, ne populus in religione fluctuet, quinam rectè vel malè sentiant, scire: quinam religionis caussa coerceri debeant vel non: quomodo sectarum vindices evelli possint, &c. Neque solùm hoc scire debet; sed & ipse Religioni ex animo addictus esse, votis ac precibus Deum colere. Nam ut omittam Deum solum esse, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui opes elargitur, qui fraudes intestinas comprimit, qui hostium impetum retundit, qui victoriam omnibus, & magnis viris gloriam dat; quomodo quæso Consilium de rebus magnis inire poterit, qui mentem castam, & divino splendore collucentem non habet? omne verum lumen, quod admirationem

Lactant. de justitia, l. 5. c. 15.

tionem commovet & amorem concitat,in religione situm: talis etiam est opinio, eos qui Deo chari sunt,divinis consiliis instrui, & ista de caussa minimè labi & errare posse; id quod & Ethnici viderunt: quibus, fictæ licet & commentitiæ, religionis opinio auctoritatem apud quamplures nationes attulit magnam. nullo vinculo magis in officio retinemur, quàm religionis sinceræ præcipuè: quemadmodum igitur nullo modo publica utilitas ab honestate separari, ita nec honestas à pura religione avelli potest. & ut concludam, *Falluntqui humanis imperiis & regibus, non ultionis divinæ metu Respubl. contineri docent; humana consilia castigantur ubi cœlestibus se præferunt.* *Valer. Max.*

Ad prudentiam humanam venio; & Consiliarium Philosophiæ cognitione carere non posse affirmo. Quamvis autem cùm de vera Philosophia loquimur eam intelligamus, quæ in actione consistit, moralem scilicet, familiarem & civilem, alterius tamen etiam quæ in contemplatione versatur, naturalis scilicet, & Mathematices gnarum esse vellem. Turpe esset homini consiliario in Regum & principum aulis versanti, & cum magnis viris sæpè congredienti loqui nescire de naturæ rerum caussis, quæ vis materiem omnem,& quicquid ex ea efficitur, & quasi informatur, contineat; quàm variæ ex ea & multiformes expressæ fuerint qualitates; unde illa corpora extiterint, quæ Elementa vocamus, *Cic. de clar. orat.*

mus,quæ vis fulmina & tonitrua impellat, inusitatos ignes accendat, arcum tam variis coloribus distinguat, ventorum prælia concitet, terram concutiat, aquis terras aperiat, aut perpetuos terrarum tractus aquis obruat, & similia. sed Mathematicis inprimis artibus instructum eum esse utilissimum fuerit. Astronomia, præterquam quod Physicæ proxima est, dat nobis exquisitam Solis & Lunæ cursus, deniq; omnium rerum cælestium cognitionem. Facessite vos Genethliaci & judiciarii, qui ex astris homini futura præjudicatis, & ex iis divinare vultis. Arithmetica supputandi artem perquam necessariam monstrat: quomodo enim acceptorum expensorumque rationem intelliget, si casu aliquo ei quæstorum, aliorumve suspectorum argentariorum ratiocinationes committantur? Geometria sanè inter alias consiliarium summè juvabit, sine cujus ope historiæ intelligi, agri rectè dividi, castra locari, urbes ædificari, arces muniri, ædificiorum, templorum, ædium, navium, reliquarumque rerum dimensiones haberi nequeunt. Tolle metiendi rationem & justitiam, civiumque concordiam multasque alias utilitates è vita tolles. Quî formam illam Geometricam regendæ civitatis intelligere poteris, si quid Geometricum sit, ignores? quomodo intelliges Arithmeticas leges in tribuendis honoribus, vel in aliis, si Arithmeticam non tenes?

Bod. l. 6. c. 6.

De

De Philosophia practica aliquid inculcare superfluum videtur. Planè absurdum esset in Rep. versanti, ea quibus præcipuè Resp. stat, & ex quibus manat, ignorare. Neque aliam Philosophiam intellexit Plato, cùm nobilissimam illam vocem tanquam ex oraculo edidit: Tum demum beatas fore Respubl. cùm aut regnarent Philosophi, aut Reges philosopharentur. *Nulla laudabilior philosophiæ pars est*, ait Plinius, *quàm agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promore & exercere justitiam, quæque Philosophi doceant, in usu habere.* Hæc Philosophiæ pars docet, quid honestum, quid turpe, quid extremum bonorum & malorum; quomodo domus regenda, quæ patris, quæ mariti, quæ heri potestas, quæ instrumenta tam animata quàm inanimata, & quo pacto res familiaris tuenda, quot Imperiorum genera, quibus virtutibus & disciplinis imbutum esse oporteat, qui Rempubl. bene administrare velit; quis sit optimus Reipub. status, quibus artibus inclinatæ ruentesque civitates subleventur, & optimis institutis & legibus temperentur. Affirmat apud Cic. Crassus, nullum esse oratorem posse, nisi qui hanc Philosophiæ partem omnem perdidicerit. Omnis enim oratio fit ex iis rebus, quæ vel agendæ vel fugiendæ sunt: in quibus cùm officium omne consistat, sequitur necessariò, ut qui officiorum ignarus est, is etiam in dicendo rerum inops & infacundus sit.

Epist. 2. *de Orat.*

Non

De Tuscul. Non immeritò igitur exclamat idem: *O vitæ Philosophia dux, ô virtutis indagatrix, ô expultrix vitiorum*, & quæ sequuntur. Scio vulgi opinionem esse, eos, qui Philosophiæ studiis paulò ulteriùs progrediente ætate dediti sunt, homines in solitudine versatos consuetudinis imperitos, ad res agendas nulla ratione idoneos esse, σοφὺς μὲν, ἀλλ' ὐ φρονίμυς.

Athen. l. 13. dipnosop. c. 33.

Heu mihi philosopharis? atqui Philosophi
Sermone solo sunt Sapientes: ceteris
In rebus esse novi ego stultissimos.

Sed falluntur. Nam non loquimur hic de Philosophiâ, quæ in meris ideis animi vacui ab omni gubernatione fingitur, nec de philosophastris, qui vel sine judicio Philosophiæ operam dant, vel nimio ejus studio ducti philosophia uti nesciunt, & sapientes sunt, præterquam in iis, in quibus sapientes esse debent: sed de iis qui usum & exercitationem conjungunt. *Helvidius*

Lib. 4. histor. *Priscus* (ait Tacitus) *ingenium illustre altioribus studiis, juvenis admodum dedit, non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quò firmior adversus fortuita, Remp. capesseret; doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia, potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis neque malis annumerant. Quæstoribus adhuc à Pæto Thrasea gener dilectus, è moribus soceri nihil æquè ac libertatem hausit, civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis,*

bilis, opum contemtor, recti pervicax, constans adversus metus, qui veræ philosophiæ veri fructus. Ad Iurisprudentiam venio, quæ ex hoc manavit fonte: nam quamvis Principis consistorium litibus disceptandis occupari non debeat, ut suo loco dicemus: nihilominus, quia & extra ordinem sæpe judiciaria incidunt, & leges firmissima Imperiorum fundamenta sunt, absurdum esset, omnium artium & scientiarum moderatricem & arthitectonicen ignorare Consiliarium. *Cum sis*, ait in quadam Epistola Plinius, *& privati juris & publici, cujus pars senatorium est, peritissimus: cupio potissimùm ex te audire, erraverim in senatu proximè nec ne: non ut in præteritum (serum enim) sed ut in futurum, si quid simile inciderit, erudiar.* Sæpe novæ leges condendæ, sæpe in proditores, peculatores, ambitus & majestatis reos & latrones animadvertendum. Sed & inter Principes tales exoriri possunt controversiæ, de quibus in magno consistorio agatur. Quoties enim agitur de jure alicujus civitatis? de jure portus, agri, fluvii &c. unde levi de caussa sæpè bella nascuntur? quo casu efficiet hæc cognitio, ut non solùm de re proposita disserere doctè valeamus, sed etiam ut bellum justéne susceptum sit, intelligamus. Verùm historiæ cognitionem supra omnia consiliario necessariam dico. Rectè Philosophus ad cõsultationem res gestas utilissimas esse affirmat: nam ut plurimum præteritis

Bod. l. 3. capit 1.

Lib. 8. Epist. 14. ad Arist.

Arist. l. 2. Rhet. c. 21.

teritis futura similia sunt. Tantam sanè copiam & ubertatem earum rerum suppeditat historia, quæ ad vitam rectè instituendam, & Rempub. optimè administrandam pertinent, ut qui ea legat attentiùs, ut sunt à rerum scriptoribus literis tradita, & non idem continuò in omni genere laudis excellat, is planè omni laude indignus videatur. *Longum iter est per præcepta. ait Seneca, breve & efficax per exempla.* Dixi attentiùs, plerique enim cognita re, qua de agitur, tanquam hic unus sit finis in legendo, ea una contenti longiùs non progrediuntur. Qui negligenter igitur, exempli gratia, Thucydidis scriptoris gravissimi, & quem inter Græcos senatus historici principem quis audeat appellare, bellum quod conscripsit maximè omnium memorabile inter Athenienses & Lacedæmonios, quod victoribus penè ac victis exitio fuit, percurrit, præter nudam ipsam rem nihil habet, quod quærat: qui verò attentè legit, res ita loquentes audit: Discant Atheniensium exemplo civitatum moderatores quiescere, ubi facultas datur; cum pacis atque otii tuendi non turbandi caussa arma adinventa sint, ne patiantur se efferri cupiditate proferendi imperii in patriæ exitium, cum certa infamiæ nota ne assuescant aliena bella sua facere, & per speciem juvandi amicos imminere ad eorum perniciem quos juvant; discant aut compressas habere animi cupiditates, aut quod

Epist.6.

Lib.2.

Brut. de hist. laud.

Libro 4.

quod malum quidem est, sed mitius malum, quoad spes certior rei agendæ affulserit, tectas, occultasque habere, si qua de re controversia orta sit inter communes amicos, malint auctoritate conciliandis animis utriusq; partis studia, quàm armis partem alteram fovendo & sibi exitium quærere & suis. Sed ad alia aliorum scripta descendamus. Si quis demonstrare velit Principes moderatos esse debere, atque uti potestate in suos legibus præfinita, non immani, non infinita, abstinere à privatorum injuriis, quorum alienatis animis nullam potestatem posse diuturnam esse: ita traditum uni imperium in multos, ut suorum saluti & ornamento non dedecori & exitio esse debeat: hæc & talia facilè ex L. Bruti historia eliciet. Si quis Regis optimi expressam effigiem habere vult, & virtutum omnium quibus efficitur, ut in uno homine contineatur multarum gentium salus, fidei inprimis admirabile exemplum, æquè secundis ac adversis rebus amicitiæ cum sociis colendæ, hospitalitatis & munificentiæ in proximos, is Hieronis optimi Principis vitam sibi proponat. Contra qui Tyrannum in præceps ruentem, superbum, omnes & omnia despicientem, qui patentes habeat aures regiorum blanditiis, præclusas tutis consiliis, & miserorum querelis, atque dicendi genus contumeliosum, is Hieronis generos intueatur. Si quis, quantum mulier mali interdum pos-

Livius l. 1. 2.

Livius l. 23. & 24.

sit,

ſit, ſcire avet, is quid Demarata apud maritum Andronodorum effecerit perpendat. Si magna ærarii difficultas ſit, nec alia inveniri poſſit explicatior ratio, is conſulat M. Marcellum & Valerium Levinum Coſſ. qui Senatui populoque collationem ſuadendam dicent, ita ut à majorum gentium diis initium fiat: quod olim Romæ ita ſucceſſit, ut quilibet præcipuorum quicquid æris, argenti, auri facti infecti, apud ſe haberet, annulo modo ſibi retento ac ſalino, & patella ſacrorum cauſſa, & filio bulla, in publicum tanto certamine injecto contulerit, ut prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe, & nec Triumviri accipiendo, nec ſcribæ referendo ſufficerent, ait Livius. Hæc ad exemplum dicta. In legenda itaque hiſtoria, non ſolùm rerum geſtarum, locorum & temporum deſcriptiones, ſed etiam rerum cauſſas obſervarit Conſiliarius, conſilia, acta, eventa, cur quid geſtum, cur quid omiſſum ſit: tum eventus, quid ita hi læti, illi minùs ex ſententia? caſune factum ſit & felicitate, an virtute & conſilio, ut quid præclarè ceciderit; ſi quid malè evenerit, quî occurri potuerit, ne eveniret: peccatumne à duce ſit, malè puta ducendo agmine, inſtruenda acie, loco deligendo caſtris, quò, ſi quid durius accidiſſet, facilis eſſet receptus, quæ victoriæ cauſſa commiſſo prælio, quæ victis rei perperam geſtæ. *Ad illa mihi* (ait Livius) *pro ſe quiſque acriter*

Ælian. l. 9.

Libr. 26.

In præfat.

acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi militiaque & partum & auctum imperium sit: labente deinde paulatim disciplina, velut dissidentes primò mores sequatur animo; deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire cæperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est: hoc illud est præcipuè in cognitione rerum frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæque Reip. quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites. Quemadmodum enim medici nihil prodesse ægrotantibus possunt, si morborum caussas aliasque circumstantias ignorent, ita qui circa res gestas versantur, omni prorsus fructu carent, nisi & loci & temporis & caussarum, omniumque occasionum ratio constet: nam nec illi ægrotos rectè curare, nec isti quicquam in rebus agendis obire poterunt, nisi eorum omnium cognitionem veram habeant. Admirabilis inter cæteros Polybius est is, qui cum posteriore Africano vixit. Nam rebus explicatis, quem ad modum gestæ, administratæque sint, tum quid prudenter & callidè, quid temerè & inconsultè, quid cum laude, quid cum dedecore actum sit, subjungit; ut inde qui vellent ad agendum documenta illustria habeant. Quod idem Salustius observat: eventa enim ita narrat, ut caussas simul aperiat, ut omnia

Polyb. l. 3. histor.

Suidas.

omnia nostra consilia, immò omnes nostras actiones veterum exemplorum regula metiri facilè possimus. Sed & Tacitus, qui vel maximè Consiliarii manibus terendus, salubrium enim præceptorum politicorum tanquam seminarium quoddam est. Historias intelligo, non tantum veterum Græcorum & Romanorum, sed etiam nostri temporis, præcipuè verò familiæ Principis, cui inservit, & vicinorum Principum, & Rerumpub. cum quibus ei vel per consequentiam res fuit vel est; sive sint amici, sive hostes. Qua in re Consiliarium non parùm juverit, varias lustrâsse provincias ac regiones, celebres invisisse civitates, multarum nationum mores ac vitas edidicisse, sinus, portus, promontoria, montes, flumina, maria, loca denique quæcunque sunt insignia diligentissimè cognovisse; ut scilicet ex peregrinatione, exterorum notaverit instituta, mores, urbes, leges, imperii genus. Magnos viros cognoverit, & allocutus sit: aulas Principum frequentârit. Notaverit, inquam, an provinciæ, quas viderit, armis munitæ, quænam in iis bella præteritis temporibus gesta fuerint, & qua occasione: noverit vicinorum Principum potentiam, ut sciat, à quibus sibi timere possent; & quibus fidere, adversus quem bellum gerere, cum quo fœdus inire, qui reditus, quæ expensæ, quomodo Respub. illa defendi queat, quis status & similia; atque hæc tam exactè,

Fur. Ceriol. c. 2.

Donat. de Repub. Ven.

actè, ut ei nemo falsarum rerum narratione imponere possit: item quàm lata sit & longa provincia, vel Regnum, quas munitiones habeat, ubinam aditus pateat, quâ re subditi delectentur, quibus vitiis laborent; quot flumina non vadosa, & alia hujus generis. Quis enim dubitat eum, qui sic peregrinatus est, & in potentissimorum Principum aulis versatus, qui sæpe cum nobilissimis viris congressus est, propter ea quæ observavit in rebus agendis magis idoneum esse tenebricoso altero, qui domi clausus, quid apud exteras gentes fiat, ignorat. Notat Livius Minionem Regis Antiochi intimum Consiliarium, qui omnium externorum ignarus Regi suo bellum adversus Romanos suaserat, regno illi perniciem attulisse. De eloquentia ita sentio, cùm Deus hominum generi duas maximè peculiares dotes elargitus sit, in quarum inest altera intelligendi ac judicandi vis, quam rationem nominamus, in altera orationis facultas: utramque excolendam, parum inquam esse rectè sentire, & prudenter intelligere, si quæ rectè sentias & intelligas, politè eloqui non possis. Consiliarium ita eloquentem esse oportet, & de rebus omnibus variè & eleganter dicere posse: quamvis enim in sententia dicenda magnam non requiram eloquentiam (nam ejus munus præcipuum non est delectare & verborum lenociniis persuadere, sed nudè sententiam suam ex-

Lib. 35.

 plica-

plicare) fieri tamen poteſt, ut quis ad alias Reſpublicas mittatur ad ſuadendum, diſſuadendum, laudandum, vituperandum, gratulandum, dolendumve: fieri etiam poteſt ut ei mandato Principis ſui, ſive apud Principes exteros, eorumve legatos, ſive ad populum, ut ipſum fortè à furore ad ſanitatem perducat, loquendum ſit: ibi orationem Conſiliario ſapientiſſimis ſententiis graviſſimiſque verbis perpolitam deeſſe nolim, ita tamen ut ſcholam non redoleat, ſed ad audientium aures accommodata ſit: non. in ſpeciem nimis elaborata, neque ſententias & rationes nimis reconditis è locis erutas, aut nimis longè accerſitas contineat. *Maximus ſtudiorum fructus & veluti præmium quoddam ampliſſimum longi laboris*, ait Quintilianus, *ex tempore dicendi facultatem nactum eſſe.* quid enim ad alliciendas voluntates impellendoſque animos eloquentia utilius? Sed nec illis caſibus multiloquam & vagam, ſed brevem & argutam eloquentiam laudarim. Armatam plebem Romanam, quæ Regibus exactis nimia libertate ſeceſſerat à patribus, peſtifera ſeditione diviſam & miſerrimum Reipub. ſtatum P. Valerii brevis oratio, in priſtinum reduxit ſtatum. & *verbis facundis*, ait Valerius Max. l. 8. c. 19. de vir. illuſtr. *iræ, conſternatio, arma ceſſerunt.* Et notum eſt illud Menenii Agrippæ, Popilii conſulis & aliorum. Cæteroquin in ſententia dicenda,

Lib. 10. *c.* 7.

Plut. & Cic. in Bruto. Ariſt. 1. *Rhet.* 1. & 16.

cta, nec procemiis, nec epilogis utetur, ut tota dicentis industria in rei ipsius substantia defigatur. Nihil ante tam parvum, ait Plinius, tam vulgare in senatu agebatur, ut non laudibus Principum immorarentur, quibus censendi necessitas accidisset. At nunc quis nostrum tanquam oblitus ejusdem quò refertur censendi officium Principis honore consumit? tuæ moderationis hæc laus, &c. *Senatori hæc jussa sunt*, ait Tullius, *ut adsit; nam gravitatem res habet, cum frequens est ordo: ut loco dicat, id est rogatus; ut modo, ne sit infinitus.* Tres reperio dandi consilii modos, Ratione scilicet, auctoritate, & exemplo; quod si conjungantur, magnam vim habeant necesse est. Itaque si vel res propositæ, vel priorum suffragia omnia, consiliario minimè probanda sint, hæc notabit, ut quod dicturus est contra aliorum opinionem, id validis firmisque rationibus & verborum compendio probandum sibi sciat. Et quoniam aliorum sententia diluenda erit, pauci autem reperiuntur, qui sua improbari moderatè ferre soleant, omni verborum honore, & mitissimo dicendi genere utetur, contentiosasque omnes voces fugiet, atque eos loquendi modos, quibus se plus ceteris vidisse significari posset; neque tanquam certum & exploratum idipsum, de quo agitur, proponat. Ea enim quæ consultantur contingentia sunt. Omnia, inquit Philosophus, quæ veniunt in consultatio-

In panegyr.

De legib.

Arist. lib. 1. Rhetor. c. 2.

Gabr. Paleot. de consult. sacri 4. q. 12.

L. 3. Ethic. 3.

nem, talia ſunt, quæ aliter accidere poſſunt: ſufficiat conſiliario conſcientiæ ſuæ ſatisfeciſſe. Quod ſi res, quæ conſultanda proponitur conſiliario, clara videatur, vel anteriorum ſuffragiis ſatis examinata & probata reſque celeritatem requirat, aſſenſus per verbum *placet*, vel *idem cenſeo*, vel *aſſentior* fieri debet. Valdè ineptum eſt ea repetere, quæ jam in medium allata fuerunt, aut nova oratione actum agere, vel intempeſtivis digreſſionibus audientium aures plus æquo onerare. Pericles antequam in publico verba faceret, optare ſolitus eſt, ne ullum ſibi verbum à re alienum incideret. Reperiuntur præterea nonnulli, qui nihil explicitè pronunciant, ſed tectis, compoſitiſque verbis reſponſionem concipiunt, ut ad utramque partem accommodari poſſit, more carminum Sibyllinorum, idque faciunt, ne à majorum gentium diis diſſentire videantur: verùm quum conſcientia eos in contrarium exſtimulet, obſcurè aliquid loquuntur: ſed miſeri non hiſce nugis ſuſpicionem evadùnt, ne dicam culpam, quæ tantò gravior eſt, quantò dolus tectior putatur. Alii de induſtria ſententiam ſuam ſermonum tenebris involvunt, ut ſe admirabilia & paucis cognita enunciaſſe demonſtrent; aut affectata prudentiæ ſpecie ſua abdunt, ut nihil difficilius ſit. Alii prolixitate ſua ſe intricant & involvunt. Ab his & ſimilibus cenſendi modis cavere ſibi ſolet bonus conſiliarius:

Paleot. d. c.

Plutarch. de garrulit.

Paleot. 5. qu. 5.

liarius: quin apertè potiùs, candidè & breviter sententiam suam pronunciet, ita ut oratio neque confundat celeritate, neque offendat tarditate. Et quandoquidem memoria eloquentiæ thesaurus est, & necessarium maximè vitæ bonum, ut eam consiliarius à juventute exercuerit, postulo. Pythagoreos legimus vegetandæ exercendæque memoriæ gratia, quod quoque die dixissent, audivissent, egissent, vesperi commemorare solitos: quem morem Ciceroni quoque probatum videmus. Eloquentiæ linguarum subjungo cognitionem, qua ornatus esse debet consiliarius, eorum præcipuè populorum, quibus Princeps ejus aut imperat, aut amicis vel hostibus utitur. Adfert hæc cognitio magnum usum ad quaslibet res commodiùs tractandas. Qui interprete uti coguntur, quæ proferunt, nec tam grata, nec tam efficacia esse possunt: vix poteris per interpretem affectus tam bene movere: ut omittam, multos dicendi modos, qui suas energeias & dicendi habent significationes, quæ alia lingua, ex tempore præcipuè, exprimi nequeunt: addo, quod qui vicaria alterius opera confidunt, sæpe decipiantur. Cùm Censorius Cato populi Romani nomine legationem apud Athenienses obiret, quia Græcè tunc ipse nesciebat, ea quæ habebat in mandatis per interpretem exposuit. Ibi quod ea quæ paucissimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret:

Plutarch. in Cat.

ret: Athenienses orationum dissimilitudinem mirati, Romanis sermonem in pectore, Atheniensibus in ore nasci dixerunt. Tantum enim à genuina ipsius auctoris mente cujusvis interpretis orationem distare judicarunt, quantum inter cor & labra est interstitium. Ideo Themistocles unus totius Græciæ in rebus agendis acerrimus, atque in consilio capiendo dandoque callidissimus, cùm Athenis profugus, ad Regem Persarum concessisset, animi sui petitionem exponere noluit, priusquam Persicam addidicisset linguã, ut sine interprete, quod plurimum referre arbitratus est, cum Rege loqui posset. Et sanè si veredarii etiam, tabellarii, nautæ, mercatores, & quicunque ad faciendum quæstum diversas gentes accedere solent, plures ideo linguas addiscunt, ut suis potiùs quàm alienis auribus ea accipiant, quæ petentibus respondentur; quantò magis magni principis consiliarius in id sedulò eniti deberet. Turcæ licet barbarorum ferocissimi, & à literis maximè alieni, cùm reipsa linguarum summam videant utilitatem, quot linguas quis callet, totidem viris illum æquivalere vulgato proverbio dictitant; hæc fuit ratio, quare Carolus IV Imperator bulla illa aurea, quæ de imperatorum electione agit, inter alia hoc quoque præcipiat, ut Electorum filii primis ab annis Latinam, Italicam & Illyricam addiscerent linguam, ut sermonem cum multis genti-

Plut. in Apoph.

Ant. Menavinus & Guil. Post. de reb. Turc.

bus

bus communicare possint. Postremò, quia, ut rectè Cicero, omnia sub præsidio & tutela virtutis bellicæ latent, & non tam cum magnis Regibus amicitiæ junctæ, neque fœdera cum gentibus finitimis inita, quàm rei bellicæ scientia & armorum potentia Reipub. statum tutum & incolumem præstant, rem etiam militarem didicerit consiliarius, requiro. Militiæ genera intelligat item ea, quæ ad peditum equitumque ordinem, dispositionem aciei & disciplinam spectant; cognoscat locorum, montium, fluminum, vallium naturas, urbiu situs & similia. Quid crebrius in consistorio magnorum Principum, quàm consultationes de bello, de exercitu, de castris, de signorum collationibus, de commeatu, de insidiis faciendis aut vitandis, de muniendis oppidis, de custodia arcium, de prohibendis repentinis finitimorum hostium incursionibus, agrorum populationibus &c? Ideò pauci olim in senatum recipiebantur, quorum virtus non esset domi militiæque cognita; nullus autem, qui magistratus & honores in Repub. priùs non gessisset, ut esset *De offic.*

Pacisque bonus bellique minister.

M. Portio Catoni, de quo ante, nullam artem neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ defuisse scribit Livius. *Vrbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit. Huic versatile* *Lib.* 39.

ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres quodcumque ageret. In bello manu fortissimus, multisque insignibus clarus pugnis: Idem posteaquam ad magnos honores pervenit summus Imperator, idem in pace, si jus consuleres, peritissimus: si caussa oranda esset, eloquentissimus. Hisce praesidiis

In panegyr. instructi honores petituri, inquit Plinius, adsistebant curiae foribus, & consilii publici spectatores, ante quàm consortes erant. Quae potestas referentibus, quod censentibus jus, quae libertas, ubi cedendum, ubi resistendum, quod silentii tempus, quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum, omnem denique senatorium morem, quod fidelissimum percipiendi genus, exemplis docebantur. Ad officium consiliarii transeo: quod primò in eo con-

H. Osor. de reg. disc. lib. 8. sistit, ut Principem suum, & Remp. praecipuè, sincero amore ac pietate debita prosequatur. Parum fuerit acutè perspicere quae facienda essent, ornatéque eloqui posse, si odium Reip. aut cupiditas nefaria tibi fuerit, quò minus id quod sentis exprimas. Erat olim apud Athenienses lege sancitum, ut quoties advocata concione, populus de Repub. consultabat, praeco maxima voce diram cladem & exitium illi & posteritati ejus imprecaretur, qui Reip. inutile consilium daret, ne ipse incommo-

Plut. dum aliquod subiret. Erant autem illae execrationes quae caput civis perfidi devovebant tam horrendis verbis scriptae, ut maximum

ximum metum omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui legem illam tulit, nihil esse acuto ingenio sine fide, sine Reipublicæ studio, sine patriæ caritate, perniciosius. Exstat apud Herodotum Aristidis oratio. Certare, inquit, nos oportet, Themistocles, non privatis simultatibus & odiis, sed uter nostrum melius de patria mereri, & plura in eam beneficia conferre possit. Admirabilis pietatis in Remp. constantia fuit, quam Q. Fabius Maximus patriæ præstitit. *Pecuniam*, scribit Valerius Max. *pro captivis Annibali numeravit: ea fraudatus publice, tacuit. Dictatori ei Senatus magistrum Equitum Minutium, jure Imperii, adversus leges, æquaverat: silentium egit. Compluribus præterea injuriis lacessitus, in eodem animi habitu permansit; nec unquam sibi Reipub. permisit irasci, tam perseverans in amore fuit.* O indefatigabilem & sanctum amorem, quem ut non fucatè habeat consiliarius, debet in limine consilii, odium in adversarios, gratiam adversus amicos, pervicaciam & arrogantiam ex se ipso exuere, & privatos denique omnes affectus deponere, atque ea solùm intueri, quæ ad Dei cultum & Reipub. commodum spectant. *Omnes homines*, ait prudenter Sallustius, *qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. haud facilè animus verum providet, ubi ista officiunt: neque quisquam omnium libidini*

In Vrania.

Lib. 3. c. 8.

De bello Catil.

dini simul & usui paruit. ubi intenderis ingenium, valet: si libido possedit, dominatur. Magna mihi copia est memorandi P. C. qui Reges aut populi, ira aut misericordia impulsi, malè consuluerint: sed ea malo dicere quæ majores nostri contra libidinem animi sui fecerunt, & quæ sequuntur. & alibi: *Animus in consulendo liber sit, neque delicto, neque libidini obnoxius,* quî sic? quia qui vitiis scatet, fieri non potest, ut vitiis non faveat, ne illa judicando seipsum condemnet. *Suspectus,* inquit Tacitus, *præfecti consiliis, quòd pellicem regiam polluerat, inque libidinem omnem venalis habebatur.* Sit igitur Consiliarius vir bonus, justus & integer, cujus vita, ut ait Plinius, censura sit, eaque perpetua, ad quam cæteri magistratus dirigantur, ad quam ii convertantur, quibus non tam imperio, quàm exemplo opus est. *Quis in cœno,* ait D. Ambrosius, *fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? quis utilem judicet caussæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? quomodo enim eum potes judicare consilio superiorem, quem videas moribus inferiorem?* Exstat apud Agellium Æschinis oratio, qua Timarchum de impudicitia arguit. *Quænam,* inquit, *Lacedæmonii, ratio, aut quæ tandem spes erit, urbem hanc, & hanc Rempub. salvam inexpugnabilemque diutiùs esse posse, si hujusmodi anteactæ vitæ hominibus Consiliariis utamur? quòd si proba isthæc & honesta sententia est, quæso vos, non sinamus eandem dehonestari auctoris contagio.* Cùm

Libr. ann. 12.

In Panegyr.

Libr. 2. de offic.

Cùm Spartæ Demosthenes quidam, homo intemperans, sententiam commodam dixisset, eam populus rejecit. Ephori autem sorte lecto cuidam senum eam dicendam dederunt, tanquam ex sordido vase in sincerum eam diffundentes, ut grata fieret multitudini. Tantum in utramque partem in Repub. habet persuasio de hominis ingenio concepta. Virtutes (ait Philosophus) & mores ad persuadendum faciunt. Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, est probitas, fides, justitia, sine quibus nihil potest esse laudabile. Prudentia omnis sine his est vana & mendax & vafra quædam calliditas & versutia. Non igitur sit invidus, non obtrectator, nullius odium gravius concipiat, nulli molestè nimis æmuletur, nullas inimicitias gerat, nullum maledictis, nullum contumelia, nullum verbis vehementioribus, nec absentem nec præsentem prosequatur. Reperiuntur in sententiis dicendis nonnulli, *qui consilii, quamvis egregii, quod non ipsi adferant, inimici,* quum id, quod dicturi erant, videant ab iis, qui priores dixerunt, quasi præoccupatum, eosque pudeat vel idem repetere, vel palàm in sententiam priorum ire, cavillos excogitant, correctiunculas addunt, & nodum, quod ajunt, in scirpo quærunt, aut præstigiis sophisticis aliorum sententias eludunt, & veritatem tenebris involvunt, ne cuiquam succubuisse, aut quicquam cuiquam concessisse videan-

Tacit. lib. 1. histor.

deantur. Hos observet Princeps; viri enim boni non sunt: quorum est, aliorum rectas sententias candidè adprobare, licet ceteroqui auctores exosi sint. *Fides summa*, ait de quodam Cicero, *& naturalis quædam inerat auctoritas, ut non caussam, sed ut testimonium dicere putares, quod ad sententiam dicendam aptum maximè videbatur.* Veritas inter alia consiliario maximè amica esse debet, immò nihil pejus iis Consiliariis, qui eam principibus reticent: juramento obstringuntur, se sententiam dicturos & consulturos ex animi sententia, quæ meliora & utiliora videbuntur, quod si veritatem taceant, nonne perjuri fiunt? At veritas odium parit, quid tum: qui tale metuit odium, non dignus est nomine Consiliarii.

De clar. orat.

Senec. *Odium qui nimium timet, regnare nescit.*

Possumus interdum Principibus applaudere, possumus etiam illorum incommoda, & contumelias nonnullas & ineptias, non modò perferre, sed amanter etiam tegere: at in consiliis & negotiis publicis, veritas nunquam reticenda.

Ps. 10.

Veritas simplex quibus est amori,
Hos amo, amplector, video libenter,
His mihi seros sociis senectus
Impleat annos.

Epist. Cujus rei inopia, quærit Seneca, *laborant magna fastigia? quid omnia possidentibus deest? ille qui verum dicat.* & Plinius: *Vidimus*, ait, *curiam elinguem, in qua dicere quod velles*

In panegyr.

velles periculosum; quod nolles, miserum est. & alibi: *quis anteà loqui, quis hiscere audebat, præter miseros illos, qui primi interrogabantur? cæteri quidem defixi & attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem, quo cum animi dolore perpetiebantur; unus solus censebat, quod sequerentur omnes.* & alibi laudat Trajanum, quòd eo rogante sententias liberè dicere liceret, vinceretque sententia non prima, sed melior. Notanda illa apud Tacitum verba: *Per idem tempus L. Piso Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit: nullius servilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingrueret, sapienter moderans.* & illa de Cn. Pisone: *Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis: igitur Cn. Piso, Quo, inquit, loco censebis, nam si primus, habebo quod sequar, si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.* Octavio Aug. ob immodicas altercationes disceptantium aliquando è curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt, licere oportere senatoribus de Repub. loqui. Eidemque Antistius Labeo in senatu aliquando dixit, suum quemque judicium habere. Et notum est illud Prisci Helvidii, ad quem cùm Vespasianus misisset, ne in senatum veniret: Penes te, inquit, est, ne me senatorem esse patiaris. quàm diu autem me loco non moves, est in curiam mihi veniendum. Age, at ingressus taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandum: & mihi

Lib. 1. annal.

Suet. cap. 54.

Arrian. in Epict. 1. l. 1. c. 2.

mihi dicendum, quod rectum putavero. Verum si dixeris, occidam te. Quando ego tibi dixi, me immortalem esse? tu tuum facies, ego meum. tuum est occidere, meum mori non trementem. Quid prodest, rerum cognitione, earumque usu excellere, tum salutaria studia, accensumque bene operandi affectum intus enutrire, si, cùm tempus illius depromendi venit, animi deficit alacritas, & trepidatio aut suspicio, seu aliud quodvis obsistit impedimentum, quò minus apertè sincerèque id profiteatur, quod mente jam conceperat. Adde quòd ejusmodi adulatores sæpissimè ipsis etiam Principibus fastidium pariant. *Memoriæ proditur, Tiberium, quoties curia egrederetur, Græcè in hunc modum eloqui solitum: O homines ad servitutem paratos. scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tædebat.* Quòd si quis tamen timidiore reperiatur animo, is à principe erigendus. Solent boni Principes, cùm rem proponunt, alacritatem Consiliariis ad dicendum injicere, atque hoc testari, se id tantùm quærere, quod publicæ serviat utilitati: cùm verò sententiam audiunt, attentis auribus vultuque benigno, etiam postremos & infirmiores audire: quis enim dubitat libertatem consulentium impediri, dum liberè ipsis loquentibus Princeps irascatur, & libentiùs se audire ostendat, quæ placent quàm quæ prosint?

Paleot. in con. cl. memb. 4.

Tac. l. 3. *an.*

Paleot. p. 5. *q.* 7.

Despe-

Desperata ejus Principis salus est, cujus aures ita formatæ, ut aspera quæ utilia, nec quicquam nisi jucundum accipiat. Cùm de frumento ex Sicilia Romam advecto in senatu aliquando ageretur, an gratis, vili aut magno pretio plebi divenderetur: inter alios M. Coriolanus exstitit, qui adversus plebem gravem diceret sententiã: Nihil per largitionem populo tribuẽdum, his artibus petulantiorem ac lasciviorem effici: satius hunc esse vel cariore annona domari ac reprimi, quò fieret modestior ex necessitate, & ad civilia munera obeunda paratior: agros hac injuria non seditiones colat. desidia, otio ac luxuria maximè, quæ ex copia & inerti abundantia nascitur, jura, leges, instituta negligi. Patricia & aristocratica sententia: sed parùm popularis. Ideo Tribuni plebis, qui in senatu eam audiverant, ad populum referunt, à quo sine mora dies Coriolano dicitur. Verùm quantum ad hanc accusationem attinet, licet populo infenso uteretur, eam facilimè diluit. Agnovit plebs, Coriolanum nihil præter officium fecisse. ubi enim loquendi ulla licentia, si non in deliberando & dando consilio? Nemo igitur consilii sui post senatum rationem reddere cogebatur. Rectè; etsi enim aliud consilium alio melius interdum sit, omnium tamen Consiliariorum eadem mens præsumitur, ut pro salute Reipublicæ dicant: quemadmodum in navi, alii sæpe velificatione, alii remigatione

Dionys. Halicarn. lib. 7. Livius lib. 2. Plin. de vir. illustr.

gatione utendum censent, sed omnium idem scopus. Fuit nihilominus Coriolanus postmodum, sed aliis de caussis, quòd à tribuno vocatus venire recusasset, lictores pulsasset, condemnatus. Cùm itaque Princeps (ut unde digressi sumus, revertamur) vultu ipso iracundiam, aut severitatem acerbam ostendit: non dubium est Consiliariorum animos magna ex parte debilitari & frangi. pauci admodum reperiuntur, qui, cùm se Principem ægrè audire intelligant, libenter loquantur. Patienter igitur Princeps sententiam, quamvis liberam, audiet, neminem interrumpet, memor, jus olim senatori apud Romanos fuisse, quàm diu vellet orationem trahere, adeò ut nonnullos horis septem, alios verò dies totos concionem in senatu habuisse tradant. *Finemque sermonis suus cuique pudor, non tua superbia facit*, ait ad Trajanum Plinius. Philippidem Atheniensem comicum summa benevolentia complexus est Lysimachus Rex, nulla alia de caussa, nisi quòd liberè loqueretur & ex animi sententia, proculque ab adulatione vitam probam & modestam ageret. Dicere solebat Hiero, Gelonis in tyrannide successor, neminem qui liberè loqueretur sibi importunum esse. Moderationis tantæ fuit Alexander Severus, ut non solùm nemo unquam ab ejus latere submoveretur, omnibusque se blandum affabilemque præberet, sed etiam ut sibi ab omnibus, quæ sentiebant liberè dici cuperet,

Agel. lib. 14. c. 10.

Plut. de disc. amic. & adul.

Alex. ab Al. lib. 4. c. 11.

Plut. in Demetr.

Plut. in apoph.

Æl. Lampridius in Alex.

cuperet, & quod dictum esset, audiret, & quum audisset, ita uti res poscebat, emendaret, si minùs benefactum esset aliquid, etiam ipse convinceret; idque sine fastu & sine amaritudine animi. Cum Tacito igitur consiliarium moneo: *ne cum fortuna potiùs sui Principis loquatur quàm cum ipso. Interrogatus à Tiberio Messala Valerius, num se mandante sententiam suam promsisset, sponte dixisse respondit, neque in iis, quæ ad Remp. pertinerent, consilio, nisi suo, usurum.* *Lib. 1. histor. Tacit. lib. 1. annal.*

Seneca. ——— *justa, qui reges timet,*
Deponat, omne pellat ex animo decus:
Malus est minister regii Imperii pudor.

Principem verò, ne iis fidat, *quibus omnia Principum honesta atque inhonesta laudare mos est.* Duo hic extrema consiliario vitanda: alterum, ne loquendi libertatem cum audacia & immodestia confundat, & inani jactatione libertatis, famam fatumque provocet: quod fit quando quis in propria obstinatus sententia, non veretur specie utilitatis & veritatis, verborum aculeis alios mordere, crimina detegere, maledictis famam proscindere: quæ petulantia potiùs & scurrilitas quàm loquendi libertas vocanda est. Nam vera libertas bonum tantum publicum respicit. *Falsò libertatis vocabulum obtenditur*, ait Tacitus, *ab iis qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent.* Qui hac libertate uti vult, ut monet Quintilianus, *Tacit. lib. 1. annal.* *Lib. 16. annal.*

debet

Lib. 11. *c.* 1. debet rei, loci, temporis & personarum rationem habere, ut & sui ipsius. Major libertas diu in senatu aliquo versatum decet, quàm recens admissum. Modi item, ne clamore, vel alio corporis habitu, iræ vel alterius perturbationis suspicionem moveat, & nihil arroganter, nihil protervè, nihilque ad ostentationem proferat: *Tac.l. an.* 5. neque acerbis facetiis delectetur, quin potiùs illius meminerit, acerbarum facetiarum apud præpotentes in longum memoriam esse. Alterum extremum est, cùm quis sub libertatis specie assentatur. *Adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest.* *Tac.lib.*1. *histor.* Exemplum istius adulationis apud Plutarchum exstat: *Audi Cæsar Tiberi, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palàm facere, impendis te ipsum nobis, corpus tuum diurnis nocturnisque laboribus & curis pro Repub. conficis.* *De discr. amici & adul.* istud æquè detestandum, sed priore extremo magis noxium. Et quandoquidem non dormientibus, sed vigilantibus & laborantibus prudentia infundi solet, consiliarium convenit, in consilio quidem attentissimis auribus omnia, quæ quisque loco suo dicit, & quibus argumentis ea corroboret, excipere, ne in respondendo vel minimum aberret; qua in re quantum situm sit, ostendere volens Lycurgus, ne ullæ picturæ in locis, ad consilia destinatis, haberentur, constituit; ne scilicet consiliariorum cogitationes distraherentur, sed totæ in rebus deli-

L. quod autem. §. *apud Labeonem. l. pupillis. ff. quam in fraud. max. cred.*

Plut. in vita Lyc.

deliberandis defigerentur. Extra consilium autem diligentissimus erit meditando etiam, legendo, differendo, finem cujuslibet rei considerando, sed & singulares rerum circumstantias & contingentia varia in humanis actionibus perpendendo: quæ practica cognitio est, quia ipso perficitur actu. atque hæc rebus administrandis, populorumque gubernationi maximè prodesse solet. Curiositas hominum ex omni genere signa collegit instantis tempestatis. at multò magis conveniebat consiliario, hac uti diligentia in consultationibus, ut observatis experimentis conjiciat, quid malorum ex unoquoque perperam constituto consequatur, & quænam caussæ impedimentorum, ut oculi iis rebus, quæ provideri queunt, adjiciantur. Et quandoquidem incommoda multa, ex ignorantia ejus Reipub. cui inservit consiliarius, quamque curandam suscepit, nascuntur, omnia illius Reip. etiam minima scire tenetur; plurimum igitur studii & diligentiæ ponet ad ea omnia cognoscenda, quæ ad principatum, in quo est, spectare videntur, consideret ipsius naturam, populi subditi, & vicinorum; alia veterem & firmatum, qui invidiæ & seditioni minùs expositus est, decent; alia Principatum novum; alia vi quæsitum, vel successione vel electione. *Plut. in moral.*

Metiri sua regna decet, viresque fateri.

Rectè Seneca: *Multi dum se tam magnos quàm audiunt, credunt, attraxere superva-cua,* *De tranquill. vitæ.*

cua, & in discrimen rerum omnium perventura bella. Principem etiam & aulam cognoscet, ex omni parte, ut & cæterorum administratorum & consiliariorum naturam, mores, omnem denique administrationem, quæ, quantaque sit omnis ditio Principis; quæ provinciæ, civitates, oppida, loca illius ditioni subjecta sint, provinciæ verò ipsæ quot millia passuum habeant in longitudine, quot in circuitu. Locorum, inquam, ambitum, situm etiam: utrum montibus, mari, flumine, vallo, fossa, lacu munita sint, quæ eorum opportunitates, & an cōmeatu prohiberi possint. an sit ubertas vel inopia rei frumentariæ; Quidnam in Principatu controversum, & cum quibus, quibus de causis, quæ ratio provinciæ administrandæ, quibus rebus delectentur cives, quibus se sustentent, quomodo erga Principem affecti; quodnam vectigal eorum, quæ evehuntur & invehuntur, portoria vocabant veteres, ex pascuis agrorum publicorum, ex sale, vino, oleo, frumento, ex mercatura, ex subditorum tributis; hæc enim ossa sunt & nervi Principis; quodnam ærarium, an subditi nimiis tributis, vectigalibus, aliisve oneribus premantur, an mercaturæ studio teneantur, an opibus abundent: quantus militum numerus in qualibet provincia conscribi possit: quænam Principis familiæ origo, quæ conjunctiones, affinitates, & amicitiæ, quæ fœdera, & quid ex iis sperandum,

Arist. lib. 1. Rhetor. c. de rebus, de quibus consilium agitatur.

randum, quorumnam partes Princeps defendendas susceperit. Et ad summam; in omnia, etiam minutissima, quæ neglecta Reip. detrimento esse possunt, omne studium, curam, cogitationem & solertiam conferet. *Qui vulgi naturam noverant*, ait Tacitus, *& quibus modis temperanter haberetur, senatusque & optimatium ingenia perdidicerant, callidi temporum & sapientes credebantur.* *Verùm quid fieri oporteat in universum*, monet prudentissimus vir, *aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit. Cum rebus ipsis deliberandum. vigilantis est captare properantem occasionem.* Morus novissima omnium arborum germinat, & tamen parit inter primas: ita qui tempus idoneum rei conficiundæ opperiuntur, etiamsi seriùs ceperint, maturiùs tamen conficiunt. Quare plerosque magnorum virorum videmus, occasione prudenter captata, ad eam pervenisse magnitudinem. Consuerant Pontifices Romani, si quid mali ab externo hoste immineret, opem Constãtinopolitanorum Imperatorum implorare, ob quorum negligentiam, quum urbs & Italia tota devastaretur, Carolus Magnus à Leone III. Pontif. (ut nonnullis placet) vocatus, occasione illa prudenter suorum consilio captatâ, Ecclesiæ Romanæ patrocinio in se suscepto imperium simul in se, posterosque suos transtulit. Pari ratione excitante Romano Pontifice Gallos ad bellum Neapolitanum, Carolus

Lib. 2. histor.

Epist. 22.

Lib. 15. c. 24.

P. Æmil. l. 2.

Iov. l. 1. *hist.* rolus Andegavensis occasione non neglecta, Siculo etiam, non solùm Neapolitano regno potitus est. Alphonsus Arragonum Rex à Iohanna R. Neapolim vocatus, tam idoneam occasionem non contemnendam ratus, regnum illud, magno Neapolitanorum applausu, Pontificeque consentiente *Pand. Collen. lib.* 6. adeptus est. Possent innumera alia exempla adduci, sed hæc sufficiant ad consiliarii diligentiam in captandis occasionibus excitandam, ubi magna prudentia opus est. Quæri hoc in loco potest, num consiliarius tam diligens esse debeat, ut etiam non requisitus, Principi, ubi res postulat, consilium subministrare teneatur? Dubium movet mos inveteratus postulandi consilium: & quòd is, qui consilio dando se ingerit, curiosus videatur, quin etiam suam censeatur prudentiam majoris facere quàm Principis & aliorum consiliariorum. Vt igitur non est boni medici, se, cùm vocatus non est, intrudere ad ægrotum: sic nec consiliarii ad Principem. Verùm hisce non obstantibus existimant doctiores in rebus magni momenti, postulante necessitate, eum quod sibi videatur, etiam non rogatum, Principi ob bonum publicum denunciare debere: atque id à Romanis etiam senatoribus observatum fuisse, ut necessitate urgente ultrò postularent, ut sibi de *Lib.* 2. *ann.* Rep. dicere liceret, non dubium est. *A majoribus*, ait Tacitus, *concessum egredi aliquando relationem, & quod in commune conduceret*,

duceret, loco sententiæ promere. & alio quodam in loco; *licebat patribus, quoties jus dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent, exprimere, relationemque in ea postulare.* Vnde Cato etiam cùm de aliis rebus consuleretur, omni senatu censere se dicebat delendam esse Carthaginem. *Consurgit Scaptius,* apud Livium, *& si licet inquit, Consules, de Rep. dicere*, ut alia omittam loca. quæ tamen tum demum rectè fieri existimo, si consiliarius priùs diligentissimè & diu multumque secum rem proponendam examinarit, ne fallatur, quod ridiculum esset; deinde etiam omnes circumstantias, An antea simili de caussa cum Principe loquutus sit, an tempus, locus & rerum status id requirant, an res opportuniùs differri possit, an ipsemet Consiliarius Principi gratus & acceptus sit; an per alium id commodiùs fieri posse existimet: an alii tale quid tentarint, & quo successu. Ad objectiones autem dupliciter respondetur, primò non esse curiositatem, sed vigilantiam, si quis debita moderatione ea investiget & proponat, quæ sui officii sunt. Deinde quamvis Princeps à Consiliario consilium non petat, id tamen Rempub. facere, quæ necessitate urgetur, & eo ipso satis interpellat, subsidiumque Principis loco postulat. Altera quæstio hîc tractari potest: Si Consiliarius in Consistorio consilium aliquod tractatum iri sciat, cui salva conscientia assentiri nequit, an si eo die

Lib. 13. ann.

Plut. in Cat.

Palest. 1. q.6. sub finem.

domi-

Felin. ate. quod super de major. & obedientia. domi se contineat, officium suum minùs diligenter & fideliter fecisse dici possit. Dubitandi caussa est, quia tutius est in senatum non venire, quàm in aliam trahi sententiam, & adversus conscientiam agere; adde quòd is culpa carere videtur omni, qui in tam iniquam rem non consensit. Sed contrarium ex superioris quæstionis decisione elucet; nam si & non rogatus, publici boni caussa, consilium dare Principi meo teneor, multò minùs salva fide effugere occasionem potero, ne roger. Tan-
Paleot. 5. q. 8. tum igitur abest, ut hæc sit legitima absentiæ caussa, ut Consiliarium contrà eò magis urgere deberet senatum eo die adeundi. Occasio enim rerum graviorum veros à cæteris distinguit Consiliariis: illi enim quò periculosiora instant negotia, eò magis se ad ea, & juvandam Remp. accingunt; hi urgentibus vel minimis difficultatibus, libenter se ab eis subducunt. Ve-
Cicero lib. 3. de legibus. tus illud est: SENATORI QVI NEC ADERIT, AVT CAVSSA, AVT CVLPA ESTO. De Catone prædicat Plutar-
In ejus vita. chus, eum in senatum, quoties haberetur, semper venisse. Verebatur enim ne quid se
Pro domo. absente per gratiam fieret. *Boni senatoris est*, ait Cicero, *semper in senatum venire.* Essetne quæso militis nomine dignus is, qui in certamen descendere jussus, id ob
D. Gregorius hom. 14. in Euang. evidens periculum detrectaret & fugeret? *Fugit*, ait vir sanctus, *non tantùm qui mutat locum, sed & qui subtrahit solatium: fu-*

git,

git, qui se sub silentio abscondit: fugit, qui tacet cùm resistere deberet. Nec Consiliarium moveat, quòd se in sententia propria solum futurum, ac se proinde frustra in senatum venturum existimet. Nam ut omittam, hanc absentiæ non esse legitimam caussam, quoties quæso factum videmus, ut unus cæteros omnes à se priùs dissentientes, argumentorum vi ad se traxerit? sed demus non fieri, at sanè hoc sufficiet, officio satisfecisse, ut liber sit & sibi probatus; ait Tacitus. Ex his dilucidè apparet, quid ei quæstioni respondendum sit, Si Consiliarius priorem sententiam non probet, an (quia puta offensionem metuit) tacendo & capite annuendo muneri suo satisfaciat. Quamvis enim dici soleat, eum, qui tacet in rebus quæ noxiæ esse possunt, non haberi pro consentiente: id tamen hoc in loco non obtinet, ubi manifestè annuere eum apparet, alioqui clarè dissentiret, & dissensus sui caussam adduceret. Quinimò dicendum, eum dupliciter peccare, assurgendo vel annuendo, & sic consentiendo: & tacendo, quando maximè loquendi tempus fuerat. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Pergo ad reliqua, quæ Consiliarii officium respiciunt, ut scilicet occultas & sibi concreditas res nullo modo divulget. Nam si, qui amici consilium de privata re aperit, omnium odio meritò dignus habetur, quo odio dicemus illum dignum, qui Principis sui consi-

Annal. libr. 1.

Grimald. l. 1. Robbius.

Iac. 4.

consilium de Reipub. salute, de propria dignitate, de publico officio, contra tam sanctè datam fidem, magno magistratuum contemtu & damno evulgat? ideo consilium veteres à silendo dictum putarunt, quo maximè invenitur, ait Festus, & senatus consulta illa tacita vocabant. Lex Ægyptiorum jubebat abscindi illi linguam, qui arcana Reipub. quæ tecta esse debebant, detexisset. Iurisconsulti consiliorum publicorum enunciatores, ut transfugas vivos exuri, & furcis suspendi debere statuerunt. Dixi arcana, nam multa in senatibus tractari solent, quæ arcana non sunt, & à Consiliariis prudenter narrari possunt: talia sunt ea, quæ morum reformationem, religionis ampliandæ studium, & Principis vigilantiam in genere testantur, & ex quorum relatione neque scandalum ullum timendum, neque damnum. Catoni insigne illud reddidit Tullius, eum nullum unquam verbum emisisse, quod emissum doleret. Q. Fabium Maximum à consulibus gravissimis verbis objurgatum legimus, sed ipsa Valerii Maximi elegantissima verba referam: *Adeò magna patriæ caritate tenebantur*, inquit, *ut arcana patrum conscriptorum multis seculis nemo Senator enunciaverit. Q. Fabius Max. tantummodò per imprudentiam de tertio bello Punico indicendo, quod secreto in curia actum erat, P. Crasso rus petens domum revertenti, in itinere narravit; memor eum ante triennium quæstorem factum, ignoransque*

Cap. in Gordianis. Festus in V. Consilium. Diodor. Siculus. l. 38. §. transfugæ. ff. de pœnis.

Libr. 2. c. 1.

ransque nondum à Censoribus in senatum lectum, quo uno modo etiam iis, qui honores gesserant, aditus in curiam dabatur: sed quamvis honestus foret error, vehementer tamen à Coss. objurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant. Pompeii probabilis virtus, qui dum legationis officio fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cùm senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ digitum cremandum præbuit, eaque constantia regi simul & desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi excussit & expetendi. Apparet ex postremo hoc exemplo, Consiliarium animo etiam magno & forti præditum esse debere, ne in consilio dando vel reticendo, Principis aut aliorum pertimescat offensionem: qui parvo animo est, timet; qui vero timet, aut laborem fugit, aut vitæ pericula formidat, aut pecuniæ sumtus extimescit, quibus rebus in Repub. nihil perniciosius. Qui laborem fugit, nihil expedit, procrastinat negotia, aut ea perditis fortè hominibus administranda relinquit, & negotia negotiis accumulat. qui pericula formidat belli, vel alia, is hostium vires & audaciam confirmat, is nunquam suadebit, ut milites ad tutelam patriæ accipiantur, ut illata contumelia vindicetur, ut vis vi cohibeatur. huic denique metus rectum sanumque consilium ademit, & veritatem sæpe oc-

Val. Max. l. 3. c. 3.

Osor. de reg. inst. lib. 8.

Tacitus l. 3. annal. cultare cogitur. *Pavidis*, ait ille, *consilia in incerto.* Ideo Deus volens Rempub. perdere Israëlitarum, ipsis non tantùm reges pueros, sed etiam effœminatos Consiliarios minatur. Metellus cùm animadverteret, quò tenderent conatus Tribunorum plebis, quantoque malo Reipub. si non occurreretur illis, erupturi essent, in exilium ire maluit quàm in eorum leges. *Potestne*, *Lib. 8. c. 8.* subjungit Val. Max. *hoc viro aliquis dici constantior? qui ne sententia sua pelleretur, patria, in qua summum dignitatis gradum obtinebat, carere sustinuit.* Sylla occupata urbe senatum armatus coëgerat, ac summa ferebatur cupiditate, ut Marius hostis judicaretur: cujus voluntati nullis obviam ire audentibus, solus Scævola interrogatus sententiam hac de re dicere noluit, quin etiam truculentius sibi minitanti Syllæ; *Licet*, *inquit*, *mihi agmina militum, quibus curiam circumsedisti, ostentes; licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, ut propter exiguum senilemque sanguinem meum, Marium, à quo urbs & Italia conservata est, hostem judicem.* Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa difficultate.

Mich. Hospi. ad Franc. Olivarium.

Nam fortes animi prorsus nihil ista moventur
Quæ sunt fluxa, caduntque cito & mutantur in horas;
Non illos aurum, non spes, non gratia flectit,
Non metus; erecta circum fora fronte vagantur.

In-

Introëunt aulas venerandi Regibus ipsis.

Hæc ita intelligenda, quod & paulò antè attigi, ut nihilominùs reverentiæ Principibus debitæ non obliviscamur. Cautè igitur & circumspectè fortem & intrepidum esse oportet, ne fortitudo in nervum erumpat. Non sunt contraria, summa reverentia & observantia Principem suum colere, & nullo metu ab officio discedere. *Quisquis metu alicujus potestatis*, ait D. Augustinus, *veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet homines, quàm creatorem*. Porrò quæ de fortitudine & constantia diximus, non ita intelligenda, ut sententiam Consiliario mutare non liceat; demens enim est, qui in errore perstat: ex caussa igitur superveniente, mutare consilium prudentis est. Præstat mutare in melius, quàm in malè cœptis pergere: sed nec propositum infringere eum judicant canones, qui in melius commutat; it quidem alio gradu, sed non alia via. Medicus quidam ægro medicamentum dare jusserat, id congruens ratus, sed re maturiùs deliberata, noxium reperit. Dicemusne hîc Medicum sententiam priorem mutare non debere? Nequaquam. Eadem est Consilarii ratio, qui consilium utilitatis publicæ caussa mutare tenetur. Nec est quod levitatis notam timeat. *Nemo enim doctus* (ait Cicero) *mutationem consilii inconstantiam dixerit*. & alibi, *Nunquam præstanti-*

Epist. 86. ad Casul.

Cap. 3. de jurejur.

l. nonnunquam ff. de coll. bonorum.

l. 1. officiorum. l. 1. epist. pen.

ſtantibus in Repub. gubernanda viris, laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio. Quemadmodum enim in navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere nequeas: cùm verò id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis potiùs quàm eo mutato, quò velis tandem pervenire: Sic omnibus in adminiſtranda Repub. idem propoſitum eſſe debet, non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper facere. Verùm demus, in conſilii mutatione inconſtantiam aliquam ſubeſſe, nonne conſiliarius, qui ſuo honori Reipub. ſalutem antefert eò magis laudandus? notum eſt illud de Fabio: Non ponebat enim rumores ante ſalutem. De hoc ſatis ferè diximus. Ad munus etiam conſiliarii ſpectat, avaritiam fugere, & beneficentiæ ſtudere. Hinc Polybius Africanum ſuum crebrò monebat, ne priùs è foro domum reverteretur, quàm beneficiis aliquem, vel ex iis qui occurriſſent, ſibi devinxiſſet. Sicut radix omnium malorum eſt cupiditas habendi: ita radix omnium bonorum eſt charitas & beneficentia. De avaritia ſenatorum audiamus Saluſtium, *Multò maximum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, poſtremò humanæ genti pepereris, ſi ſtudium pecuniæ aut ſuſtuleris, aut quoad res feret, minueris, aliter neque privata res, neque publica, neque domi neque militiæ regi poteſt. Nam ubi cupido divitiarum invaſit; neque diſciplina,*

Paleot. pag. 8. q. 6.

Plut. libr. 4 q. conviv. *Can. quia radix de pœn. diſt. 2. de Repub. adminiſtr.*

plina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet; quin animus magis aut minùs maturè, postremò tamen succumbit. & paulò infra: *Cæterum avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est: quò intendit, oppida, agros, fana, atque domos vastat: divina cum humanis permiscet, neque exercitus neque mœnia obstant, quò minùs vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales spoliat.* M. Crassum, quinque eaque maxima habuisse scribunt, quòd esset nobilissimus, quòd eloquentissimus, quòd Iurisconsultissimus, quòd Pontifex maximus, quòd ditissimus Quiritum post Syllam. At omnes has virtutes & fortunæ bona avaritiæ sordes obscurarunt. Dicebat Demosthenes, si res privata publicam non avertat, tolerari aliqua ratione posse, ut consiliarii ditescant, & incrementi participes fiant: verùm, quia ut plurimùm videmus, quò magis res eorum augentur, qui publicis muneribus præsunt, eò magis Rempub. minui, cavendum esse. *Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos, oves autem dispergunt, neque pascunt.* *Factio*, ait Livius, *& respectus rerum privatarum, semper offecere, officientque publicis consiliis.* A decoctoribus etiam & prodigis consiliariis, æquè ac avaris cavendum censeo. *Consiliariis utere iis*, ait Basilius, *qui rebus propriis bene consuluerunt, recteque eas administrarunt: non autem iis, qui per imprudentiam malè. Nam qui suis*

Plut. in apopht.

Esa. 44.

Libr. 2.

Ad filiũ.

rebus malè prospexerit, numque alienis bene consulet? Maxima cautio in liberalitate adhibenda, ait Cicero, non adeò claudi rem familiarem oportet, ut eam benignitas non aperiat, nec item reserari, ut pateat omnibus. Cæterum liberalitatem comitantur morum facilitas, comitas & humanitas, misericordia, erga proximum benevolentia & hospitalitas. Condimentum humanæ conversationis est humanitas & popularitas. Sit igitur consiliarius aditu etiam alloquioque facilis, neminem exspectando fatiget, verecundos & timidos erigat, cives pariter & exteros summa benevolentia audiat, nullorum preces fastidiat, facilis sit in salutando & compellando; ne de ipso dici possit, difficilius esse famulum alloqui, quàm dominum: fiet hac ratione, ut non solùm muneri tanto satisfaciat, sed omnium etiam benevolentiam sibi conservet. Marcum Crassum laudant, quòd nulli civium unquam patrocinium suum non lubens impenderit, nullum in via non salutarit, atque unus omnium popularem fecerit avaritiam, ex qua nemo antea gratiam reportaverat. Solent magni viri gloriæ stimulis plusquàm satis est, sæpe incitari, unde superbia, & aliorum contemtus nascitur. contemtor animus & superbia commune nobilitatis malum, ait Salustius. Quare consiliarium crebro cogitare velim, *Cuncta mortalium incerta, quantóque plus adeptus sit, tantò magis se in lubrico esse,* &

l.2. offic.

Plut. in Crasso.

De bel. Iugurt.

Tacit. l. ann. 1. & 11.

Tac. l. 4. hist.

& illud quoque, modestiæ famam neque summis mortalium spernendam, & à Diis æstimari. Rectissimè ille, qui Prisco suasit, ne supra Principem scanderet, nam quemadmodum pessimis imperatoribus, sine fine dominatio, ita quamvis egregiis modus libertatis placet. Notanda Archidami verba. Scripserat ad ipsum Philippus, parta victoria ad Chæroneam, superbiùs & asperiùs. Rescripsit itaque Archidamus hæc inter alia: *Si tuam ipsius umbram rectè metiaris, eam unico pilo majorem haud reperies, quàm ante victoriam.* Socrates Alcibiadem opibus & prædiis nimis superbientem, ad suspensam tabulam Geographicam cùm duxisset, ab ipso ut Atticam in ea quæreret, petiit, quam cùm reperisset, sua etiam prædia inspicere præcepit, quæ cùm Alcibiades nusquam reperiri diceret; Cur igitur, subjunxit tunc Socrates, ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt. Superbia etiam in Principibus odiosissima est, sed in privatis fastidienda & molestissima, quam etiam Deus summè odit. *Quemadmodum fulmen*, ait apud Stobæum Herodotus, *eminentia quævis & celsissima dejicit, parcit autem arbustis: sic Deus superbos ubique prosternit, amat humiles.* Poppæus Sabinus, ait Tacitus, vita concessit, modicus originis, Principum amicitia consulatum, ac triumphale decus adeptus, maximisque provinciis per quatuor & viginti annos impositus nullam ob eximiam

Ælian. lib. 3.

Serm. 20.

Lib. 6. annal.

miam artem, sed quòd par negotiis, neque supra erat. Atque hæc quidem de consiliario. nam quæ de cognitione Metaphysices, Musicæ, Poëseos, & de ornatè scribendi peritia, item de consiliarii familia & divitiis, de corporis constitutione, de ornatu & vestitu, de facetiis & salibus, aliisque similibus dici possent, consultò à me omissa fuere. Nunc quia non sufficit rectè consulere, nisi recta consilia Princeps amplectatur, atque non minoris sit sapientiæ, inter varia multorum consilia, quod optimum sit, discernere, atque exsequi, quàm ad rem consulere, unde Cicero: *In consilio capiendo prudentia, in dando fides etiam requiritur & religio*: fit sanè magno cum Reipub. detrimento, ut Principes, qui sibi suoque judicio nimium tribuunt, hallucinentur. Ptolomæus Ægypti Rex, ex quadam cum civibus suis offensa, Alexandria relicta, Romam venerat, ut à Pompejo & Cæsare reduceretur. Consultus hac de re Cato, eum liberè reprehendit, quòd relicta tanta felicitate ingentibus se objiceret indignitatibus, laboribus, largitionibus, & avaritiæ Principum Romanorum; consuluit autem, ut cum civibus suis rediret in gratiam, sed spretum hoc fuit consilium. Vt primùm autem ad fores unius accessit in magistratu positi, deflevit inconsulta sua cœpta, quòd non tam boni viri quàm ipsius Dei fastidisset oraculum. Annibal cùm ad Antiochum in Asiam profugisset,

Plut. in Catone.

fugisset, eum de bello in Italiam transferendo sollicitare cepit, Italiam subdens & militem & commeatum externo militi præbituram. Cujus consilium si Rex secutus fuisset, Romanis de Italia retinenda denuo timendum fuerat, quod non multò pòst, quum Rex, bello Thessalis illato, à Romanis victus esset, serò tandem unum Annibalem, quid facto opus fuerit, prævidisse fassus est. *Sæpè audivi*, ait Livius, *eum primum esse virum, qui ipse consulat quod in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui neque ipse consulere, neque alteri parere scit, eum extremi esse ingenii. Nobis quia prima animi ingeniique sors negata est, secundam & mediam teneamus, & dum imperare discimus, parere prudenti, in animum inducamus.* Verùm & in aliam peccatur partem. Accidit sæpe numero, ut qui in ipso negotio consilium capere cogitur, dubitet, timeat, & (ut Cæsar ait) deficere eum omnia videantur: atque sic non rectè judicando consilia, dum alteri paret, decipiatur, & in insidias deducatur; quod Guicciardinus in Petro Mediceo, consilium à Venetis (qui proprio suo scopo inservire conabantur) petente notavit. Sed exstant & alia, ut consilium quod Thorismondo Theodorici Westgothorum regis filio Ætius Valentiani Imp. dux dedit: item consilium Ludovici Sfortiæ, quo Gallorum Regem ad Neapolitanam expeditionem contra Arragonios traxit. Magnum igitur

Livius l. 34.
Libro 36.
Lib. 22.
Iornand. lib. rerum Goth.
Guic. l. 1.

tur judicium adhibendum non solùm in eligendis consiliariis, an scilicet iis, de quibus antè, præsidiis instructi sint, an magistratum aliquem gesserint, & an in eo rectè administrando, operam, fidem, prudentiam, diligentiamque præstiterint, an alicujus factionis Principes sint, ne justitiæ specie privatam vindictam armis publicis quærant; sed etiam in sequendo consilio

Vt caveat vitetque dolos, & prava suorum
Consilia, ut monitis addat melioribus aurem.

In epist. ad Alex. Rerum humanarum, ait Aristoteles, augustissimum est, consultatione uti, quare pro virili elaborandum, ut ipsam consultandi artem teneas. Notanda Mutiani oratio ad Vespasianum: *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipublicæ utile, ipsis gloriosum, aut promtum effectu, aut certè, non arduum sit: simul ipse qui suadet considerandus, adjiciatne consilio periculum suum, & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur.* *Tacitus lib. 2. histor.* Diligenter igitur perpendet consulens, num quod tractatur vel per consequentiam consiliarium attingat; in propriâ enim caussâ omne consilium suspectum, quia rarò sanum: an quod consulitur honestum sit; ab honesto enim si deflectat, malum est: an principaliter ad utilitatem Reipub. pertineat, an verò privatam

tam quoque utilitatem intueatur: audiat patienter quæ à contrariis partibus & disparibus suffragiis dicta erunt, rationibusque firmata notabit. si res difficilior videatur, meliùs deliberet, & res in aliud differat tempus: aut fer sententiam, ait Seneca, aut quod facilius in hujusmodi rebus est, nega tibi LIQVERE, & nos reverti jube. *Consiliis nulla res tam inimica quàm celeritas: celer enim pœnitentia, sed eadem sera atque inutilis sequitur: cùm præcipitata raptim consilia neque revocari, neque in integrum restitui possint.* Ideo consultum putat Vtopicæ Reipub. auctor, ut nihil quo die primùm in senatu quid proponitur, eodem disputetur, sed in sequentem differatur senatum, ne quis, ubi quod in buccam primò venerit, temerè effutierit, ea postea excogitet, quibus decreta sua tueatur; malitque salutis publicæ, quàm opinionis de se jacturam facere, perverso quodam ac præpostero pudore, ne initio parùm prospexisse videatur, cui prospiciendum initio fuerat, ut consultò potiùs, quàm citò loqueretur. Hoc præceptum vel monitum ab Alexandro Severo Imp. sumptum videtur, qui re proposita, Consiliariis suis spatium ad disquirendum cogitandumque dabat, ne de rebus sæpè ingentibus, incogitati sæpe dicere cogerentur, *quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis, quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant.* Laurentius Medices Petri F.

Epist. ult. l. 17.

Liv. lib. 31.

Th. Morus l. 2. c. de magistratibus.

Æl. Lampr. in Severo.

Tacit. l. 3. ann. Brut. l. 5. hist. Flor.

F. Reipub. Florentinæ Princeps, in consulendis amicis, sive ille fidei hominum, sive constantiæ diffideret, aliquando variavit, minimè diu iisdem usus. Quos verò in consilium adhibere decrevisset, non illos quidem eodem tempore, sed seductos ab aliis, de Repub. consulebat, ita ubi ab iis, qui, quæ aliorum esset sententia, ignorarent, eadem afferri comperisset, in multorum consensu, quem neque præsentium æmulatio divelleret, neque studium & gratia in mala sententia tueretur, consilium optimum esse arbitrabatur. Conducet etiam Principi, ad consilia dignoscenda, ea scire, quæ per ipsius ditionem fiunt omnia, ne illi à malè consulentibus imponatur. Sed cavendum interim, ne delatoribus nimis facilem præbeat aurem; solent enim ea, quæ nulla ex parte vera sunt, per calumniam Principi deferre, & eum ad injustitiam sævitiamque impellere, ex quo multorum sæpe innocentum periculum, imò pernicies exoritur, quod quidem verius latrocinium, quàm judicium est. Observatum à sapientibus est, nullum unquam delatorem fidelem fuisse. *Delatores,* ait Tacitus, *hominum genus publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum.* Sed ad rem. Conducet etiam Principi dare operam, ut Consiliarii liberè quidem sententiam dicant, sed ut interim concordia fraterna inter se conjungantur. Inter Consiliarios enim factiones inter-

Libr. 4. annal.

interdum exitiales sunt. *Stimulat sæpe privati odii pertinacia in publicum exitium*, ait Tacitus, & alibi: *Odio consulum in Reipub. perniciem eunt.* Multos sectatores habent magni isti, quibus se facilè adjungunt, & quorum ope odia exercent, in multorum, sed in Principis interdum Reiquepubl. perniciem. His duo addo, alterum, ut Princeps Consiliarios eligat (sic suadet sapientissimus historicus) non studiis privatis, nec ex commendatione & precibus, sed quos tales esse compererit, uti requiruntur: alterum, ut in roganda sententia Augusti nonnunquam morem observet, qui de majore sæpe negotio non ordine, sed prout libuisset, perrogabat, ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis quàm assentiendum foret, & sanè nullum perpetuum rogandarùm sententiarum ordinem fuisse, clarè docet Suetonius: qui Iul. Cæsarem post novam adfinitatem Pompejum primò rogare sententiam cœpisse scribit, cùm Crassum soleret, essetque consuetudo, ut quem ordinem interrogandi sententias Consul Calendis Ianuariis instituisset, eum toto anno servaret. Ad extremum hoc quoque addendum, ne in principio sui Imperii, sine magna caussa, prædecessoris sui fidos probosque Consiliarios à se dimittat, à quibus multa gubernationi utilissima discere poterit. Calistus prioris quoque regiæ peritus, ait Tacitus, potentiam cautis quàm acrio-

Lib. 1. histor.
Lib. 5. annal.
Tacit. in Agric.
In I. Cæsare.
Lib. 11. annal.

acrioribus consiliis tutiùs haberi, &c. Exemplum in Ludovico sit XI. Gallorum Rege, qui filio suo Carolo hoc consilii dedit, ne quid mutaret in administratione regni, & antiquos amicos, familiares, & ministros retineret; se enim reipsa expertum, in quot quantaque discrimina, vel unica hac de caussa venisset, quòd excellenti probataque virtute viros ab aula pepulisset, exorto haud multò pòst, Principum bello, quod commune bonum vocabant, & conspiratione multifaria. Amicos elegit Titus (ait Tranquillus) quibus etiam post eum principes, ut & sibi & Reip. necessariis acquieverunt, quo nomine Claudianus Honorium laudat:

Vt fortes in Marte viros, animisque paratos;
Sic justos in pace legis, longumque tueris
Electos, crebris nec succedentibus urges.

Arist. lib. 1. Rhetor. de quinque rebus, de quibus consilium agitatur.

Restat, ut de rebus, quæ in Principum senatu deliberari debeant, agamus; deque consiliorum fine. De rebus sic statutum reperio: Ea tantùm sacrosancto huic consistorio proponenda, quæ ad summam Rempublicam & ipsum statum pertinent, talia sunt de religione & Dei cultu, de legibus & magistratibus, de bello ac pace, de fide publica, de securitate servanda; de fœderibus ineundis & tuendis, de finibus Imperii regendis, de Magnatum controversiis, de eorundem capite & fortunis omnibus, de negligentia magistratuum vel præfectorum,

ctorum, de curiarum & collegiorum controversiis, de legationum secretis, & aliis similibus de rebus. Qui enim senatum litibus disceptandis impediunt, rem tanto senatu minimè dignam faciunt. Debet namque Principis consistorium (ut dixi) circa ea demum versari, quæ ad Rempublicam directè pertinent, & in rebus gravissimis, non in minutis ac levibus controversiis privatorum, vel similibus nugis occupari. Vt rectissimè, quisquis ille fuit, dixerit, eos qui magnorum virorum consilio convocato: Bod. libr. 3. c. 1.

Tanquam de Geticis aliquid torvisque Sicambris
Dicturi, tanquam diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna: Iuven. Sat. 4.

de nugis, vel exigui momenti rebus consulunt; Apioni comparandos, qui Homerum ab inferis evocatum nihil aliud interrogavit, quàm quibus parentibus genitus esset. Quòd si quæras, ubinam cætera negotia tractari debeant, quæ tot supplicib. libellis continentur, item ea quæ ad reditus & ærarium Principis pertinent, ad annonam, ad delinquentium pœnas, & similia: Respondeo, plura solere constitui consilia, officio, negotiis & ministris differentia. Hispani septem consilia, totidem curiis sejuncta, & Regis prætorio comprehensa habent, ut quod libuerit Princeps adire, ac singulorum sententias exquirere facilè possit. 1. Quæstorium, quod ærarii Bod. libr. 3. c. 1. Fur. Ceriol. de cons. c. 1.

rii publici curam gerit, & in Imperii reditibus, ex subditorum tributis, ex earum rerum vectigalibus, quæ evehuntur invehuntur, ex agris publicis, ex hostium spoliis, ex sociorum vectigalibus & tributis, ex mercatura, &c. colligendis, conservandis & augendis, debitisque exsolvendis versatur. 2. Militare quod circa munitiones urbium, custodiam finium, præsidia militum, aciem instruendam, castrametationes, omnem denique rem militarem versatur. 3. Annonarium, quod in id incumbit, ut vitæ necessaria tam abundè suppetant, ut partem etiam vicinis & aliis impertiri possimus. 4. Iurisprudentum, ad quod extrajudiciales, omnes privatæ controversiæ civiles, de quibus Princeps consulitur, pertinent, item condendarum abrogandarumque legum cura. 5. Criminale, ad quod spectat rerum criminalium cognitio. 6. Censorium, cui morum castigatio commissa est. Postremò Summum, ad quod præter ea quæ diximus, istorum etiam præcipua referuntur, ut ærarii dispensatio &c. Veneti verò quatuor Consilia habent; præter senatum & cœtum optimatum: Consilium sapientum, qui quæ terra geruntur, curant; Consilium sapientum, quod marinum dicitur; Consilium Decemvirorum, & Consilium Septemvirorum; huic postremo summa quæque in repub. deliberanda decernendaque commissa sunt; quibus ut collegiis dux præ-

Donat. Ianot. & Casp. Contar. de Repub. Venet. libro 3.

præesse potest. Galli etiam consilium magnum ab arcanis Imperii submoverunt, & aliud selectorum Principum & amicorum instituerunt, quod Privatum vocant, ubi Principum literæ referantur, legationes referuntur, mandata explicantur. Nos igitur hoc in loco de isto consilio loquimur, quod cæterorum tanquam caput esse debet. Sequitur, ut de consiliorum fine nonnihil attingamus. Hominis est agere propter finem, finis necessitatem imponit iis, quæ sunt ad finem, & est velut regula & judicium eorum, quæ pertractantur. Ergò qui rerum agendarum finem ignorat, ejus adipiscendi spes illi æquè adempta est, ut ei scopum feriendi, qui telum, incertus quò jaculetur, emittit: *Errant consilia nostra, quæ non habent quò dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus est.* Vt igitur gubernator cursum secundum, medicus ægri salutem, Imperator victoriam: sic consiliarius Dei gloriam, Principisque sui & Reipub. utilitatem sibi proponet, & in eam rem toto animo & studio incumbet. Ex veterum scriptorum lectione satis apparet, senatum etiam Romanum ante omnia hoc semper potissimùm spectasse, quid Reipub. conduceret, & quid civitatis utilitas, quid communis salus, quid Reipub. tempora poscerent, unde usitatissimæ illæ formulæ passim, *E republica esse*, item, *Si aliter quis fecisset, eum contra Rempublicam facturum, &c. Qui Reipublicæ*

Arist. lib. 1. c. 2. Moral. & de part. ann. libro 1. c. 5. Senec. epist. 71.

Cic. Philip. 8. Cæs. lib. 1. de bello civil. & passim. De off. 1.

publicæ præsunt, ait Cicero, *duo Platonis præcepta tenere debent*: unum, ut civium utilitatem sic tueantur, ut quicquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus Reipub. curent, ne, cum partem aliquam tuentur, reliquas deserant, ut enim tutela, sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.

Claud.

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi; nec tua te moveant, sed publica vota.

Commodum publicum non tam Principis intelligi debet, quàm Reipub. Nam Princeps etiam ipse privatam negligere debet utilitatem, si cum publica pugnet. Possunt autem unius rei plures esse fines. Architecti finis est domus, & est lucrum: Medici finis est ægrotantis sanitas, & lucrum: pictoris, repræsentare imaginem, & quæstus. Sic Consiliarii quidem scopus potest etiam esse privata utilitas, vel ambitio, verus autem finis est bonum publicum; nam quæstus (ut ad exempla redeam) non est finis architecti, medici, vel pictoris quatenus artificis, sed quatenus mercenarii. *Paucis*, inquit Tacitus, *publicum decus curæ, plures tuta differunt.* Rectè igitur Athenienses. Decreverat Themistocles post victoriam de Xerxe, Græciæ Principatum instituere, atque in eum finem classem Lace-

Aristot. mag. moral. lib. 1. c. 3.

Annal. lib. 12.

dæmo-

dæmoniorum in unum subductam locum, clàm incendere, ut eorum opes & Imperium frangerentur: ad populum igitur, se, de gravissima re, & ad summam Rempublicam pertinere, aliquid habere retulit, quod communicaret, rogavitque, ut unum nominarent, quicum ea de re ageret, ne per multitudinem evulgata, aliquando Reipub. fraudi esset: Aristides à populo nominatus, re audita, cùm videret Themistoclem in fine, qui decus est publicum, errare; ejus quidem consilium utile Reipub. sed turpe & flagitiosum videri respondit. Vniversa igitur concio è vestigio repudiandum consilium, quod cum propagatione finium dedecus imperii conjunctum haberet, proclamavit. Reperit Tacitus apud scriptores senatoresque eorum temporum Adgandestrii Principis Cattorum lectas in senatu literas, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur; responsumque esse nòn fraude, neque occultis, sed palàm, & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci; qua gloria æquabat se Tiberius priscis Imperatoribus, qui venenum in Regem Pyrrhum vetuerant. *Quæ facta,* ait Iurisc. *lædunt pietatem, existimationem, verecundiam, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum.* ideo Romani legibus suis hanc clausulam adjiciebant: SI QVID SACRI SANCTIQVE EST, QVOD IVS NON SIT

Plut. in vita Themistocl. Valer. Max. l. 6. c. 5.

Lib. 2. annal.

L. fil. 15. ff. de cond. inst.

SIT ROGARI, EIVS HAC LEGE NIHIL ROGATVR, ut Probus testatur, sed & Cicero. Atque hæc si non omnia, præcipua tamen sunt, quæ de consiliis in genere dici possunt: quæ brevitate, uti sperare me juvat, non jejuna, ad finem perduxi, additis doctorum quos sequutus sum, virorum testimoniis: ne me quis, licet in re valde dissimili, Domitianum imitatum, objicere possit, qui plurima opera, incendio absumta, restituit, sed omnia sub titulo tantùm suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Porrò, quid hic assecutus sim, tui lubens meritò facio judicii, lector, si eruditus es & candidus.

Pro Cecin.

Suet. in Domit. cap. 5.

FINIS.

